



Judicium deputatorum universitatis & secundarii cleri Coloniensis de doctrina & vocatione Martini Bucerii ad Bonnam

<https://hdl.handle.net/1874/9490>

24

3

IVDICIVM DE

PVTATORVM VNIVERSITATIS
& Secundarij Cleri Coloniē. de doctrina & vocatione
Martini Buceri ad Bonnam.

Pfalmo quarto.

Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem & quæritis
mendacium?

Esaia quinto.

Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes te-
nebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dul-
ce, & dulce in amarum.



Anno M. D. XLIII.

CHRISTIANO

LECTORI VERITATEM IN FIDE

Christi constanter colere.



Atholicam illam & sanctam Ecclesiam Christiane & cādide Lector, quae columna est & firmamentum omnis veritatis, aduersus quā ne inferorum quidē portae poterunt vnquam praualere, iam dudū nunc vsq; odio pertinaci Martini duo infestant: vno quidem animo, sed consilio diuerso. Prior enim Martinus Lutherus, maledictis, tonitruis, & execrationibus ipsam aggreditur. Alter vero Martinus ille

1. Tim. 5
Matt. 16

Martini
pessimi
duo.

Bucerus, venenata blandiloquentia studet circūuenire, & incautam deprimere. Licet autem rem arduam, imo impossibilem meditentur uterq; frustra (fundata est enim ecclesia super firmam petram) nō patitur tamen Satan ille impatiens, qui semper tanq̄ leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, ministros suos conquiescere, quos & pro diuersa ingeniorum conditione diuersis instruit armis. Vtrumlibet illi in promptu est, & ferocem apparere & mitem, blandum & terribilem, minacem & obsequentem. Nouit enim & in angelum lucis sese suosq; transfigurare. Quamobrem quærit organa suæ volūtati apta & congrua, quo altos illos & minarum contemptores animos occupet per blanditias: meticulosos vero & inertes terroribus frangat. Ad hoc suum institutum reperit Martinos istos q̄ appositissimos, & quales toto orbe exquiri posse vix ipse sperasset. Lutherus enim Germanica simplicitate, ea qua est ferocia, præter vllum fucum ad insaniam vsq; maledictionibus & execrationibus indulget, adeoq; tonitrua portentosis suis declamationibus & fulgura exaggerat, vt iam non humano pectore loqui possit videri. Bucerus autem ficta simplicitate & animo versipelli,

1. Petri 5

2. Cor. 11

Lutherus
aper
tus.

Bucerus
dolosus.

Heu quantum tacito voluit sub pectore virus.

Serpit, reserpit, per mille volumina se insinuat, quousq; felis musculum, Crocodilus hominē intercipiat. Facile adducor, vt credam non esse Germanica satum origine, sed aut ex fallaci illo Iudæorum semine, aut alia quapiam longe fraudulētissima, nequissimaq; stirpe prognatum. Vtriusq; nihilo minus idem est studiū, autor & pater vnus: præterea & nomen idem, a Marte pacis disturbatore fato quodam (vt opinor) acceptum. Nomen illud exhorruit aliquando Ecclesia,

A ij nec

EPISTOLA AD LECTOREM.

nec modo apparet aliud futurum. Cum enim post tot tyrannorum crudelissimam persecutionem sub piſſimo tandem Imperatore Constantino pacem & trāquillitatem nacta fuisset, non diu licuit pacis gaudio frui. Statim enim prodijt ab inferis Martis quidam filius, Arius ille (Græcis enim Mars *ἄρειος* dicitur, vnde Arii, quēadmodum apud nos Martij & Martini) qui pacem dissolueret, Episcopos seduceret, disperderet oues, & Ecclesiam crudeli & inhumana seditione deuastaret. Horrendum est meminisse malorum, quæ ille olim in Ecclesiam conuexit. Quo magis nobis verendum est, quibus duo imminent Martini, ne grauiora perpetiamur. Ambo *φιλαυτοι*, cupidi, elati, superbi, blasphemæ, parentibus non obediens, ingrati, scelesti, sine affectione, seditiosi, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis, quā dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

1. Tim. 3

Bucerus
Luthero
pernicio-
sior.

Hic vero tanto est illo nocentior, quanto ipsum hypocrisis, dissimulatione, blandiloquentia, & fraudulenta ficta quæ sedulitate exuperat, fecit modo magnum ingenij sui & artis experimentum. Circumuenit enim & fefellit Aulicos quosdam, per quos aditum inuenit ad Reuerendissimum illum & longe clarissimum Dominum ac Principem, Archiepiscopum Coloniensem, Electorem &c. quem & ipsum quoque (cum honorum omnium gemitu & dolore maximo) dicitur illaqueasse. Ne vero videatur facere, quod facit, libellum de doctrina sua & vocatione, speciem quidem pietatis præ se ferentem, sed reuera toxicum melle circumlitum propinantem, misit ad Reuerendos & illustres Dominos insignis Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienſis, quæ negocium istud non parum male habet. Qui eum acceptum Vniuersitati & Clero, quem Secundarium appellant, tradiderunt examinandum. Nec difficulter obtinuerunt, vt Clerus & Vniuersitas suum de eo iudicium proferrent: quod quale sit, lege Lector, & miraberis hæreses, errores, imposturas, calumnias, mendacia, fraudes & technas, quibus Satan suos obarmavit. Tu vero permane in his, quæ didicisti

2. Tim. 3

& credita sunt tibi, sciens a quo didiceris, & quod ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo

lesu,

Iudicis

• I V D I C I V M D E

P V T A T O R V M P E R V N I V E R S I T A T E M

& Secundiū Clerum Coloniē. de libro Martini Buceri, quem germanice quidem, sed Heluetiorum lingua, atq; adeo Vniuersitati & Clero vix satis intelligibili, scripsit de doctrina & vocatione sua ad Bonnam, & quid inde Bonnenses expectare & sperare debeant. Ad dicitur interdum, vbi res videtur exigere, breuis & succincta ratio iudicij istius, vt ne quis putet Vniuersitatē & Clerum sine causa, & non magis zelo Christi (quem testatū uolunt, se nulla alia ratione huc cōmotos, q̄ pro eiusdem Christi Dei nostri gloria & orthodoxa fide afferenda) Bucero contradicere.



Initio negari non debet, quin Martinus Bucerus multa tradat in hoc libro fidei orthodoxæ consona & catholica, qualia sunt: De summa & sanctissima Trinitate. De Christi humanitate & diuinitate. De creatione rerū, & restitutione per Christum facta. De causa peccati, quodq; uolūtatem malam, non deum accusare oporteat, quando peccatur. Quod asserit infirmitates corporis, omnemq; aduersitatem extenuare concupiscentiæ neruos. Item, in operatione boni cum gratia dei simul bonæ uolūtatis arbitrium requiri. Quod per ministerium sacramentorum gratia dei nobis conferatur cum omnibus bonis fructibus. De remuneratione item bonorum operum. De ministerio angelorum. Quod sancti intercedunt pro nobis & exaudiuntur. Quod sacerdos est minister publicus, & ecclesiæ nomine officium peragit. Item, prædicandum esse euangelium purum, nec esse alienos audiendos, & alia pleraq; quæ in præsens nihil opus est recitare. Verum hæc omnia vel ante exortum Bucerum docuit, multoq; melius tradidit ecclesia. Nec est quod Bucero quisquam pro hac doctrina debeat, sed contra, Bucerus debet ecclesiæ, a qua accepit & didicit. Atq; o utinā in cæteris quoq; suis dogmatis ecclesiæ sanctæ catholice iudicium, fidem, & doctrinam deuotus sequeretur, & non conuelleret, atq; tā misere dilaniaret, quæ ipsum genuit, & libēter resipiscentem ac redeuntem in gremium suum rursus reciperet: sed ille inflexibilis est & rigidus, utpote multo iam tempore in hæresi obstinatus, nec molitur aliud, quā ut plures in eandem secum hæresim attrahat. Proinde satis apparet, ideo ipsum hæc suæ doctrinæ admiscere, ut simplices quosq; & imprudentes hac tam præclara veritatis specie ad reliqua similiter credenda adducat. Ad quod efficiēdum arte insuper alia utitur, & personam sibi assumit catholici & euangelici prædicantis, qui præter gloriam Christi & ani-

Confiliū
Buceri.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

marum salutem nihil querat amplius: qui pro ampliando regno Dei omnibus omnia fiat, paratus omnia subire, & pro ueritatis ac pietatis assertionem sustinere. Sui dogmatis puritatem mirifice iactat, aliorum uita reprehendit, diuersum a se sentiētes prouocat ad certamen disputationis, permittit cuius de causa cognoscere, discernere, & diiudicare. Atqui isti sunt uermiculi, quibus incauti pisces solent inescari, & trahi in nassam. Cæterum deterso fuco, si legatur liber Christiano, ueritatis tenace ac Deū timente animo, apparebit statim ingens errorum cumulus, in quibus sunt multi scandalosi & piarum aurium offensiuī, quidā grauioris mali suspicione turgidi, pleriq; uero plane heretici ac damnati: quos tamē ipse pro catholicis dogmatis uidetur asserere. Quorum omnium pars bona ordine hic sequitur.

Error Buceri de peccato originali cōtra gratiam baptismi.

Concupiscentiam, quæ reliqua est post baptismum, facit esse peccatum seu iniustitiam, atq; adeo contendit, baptizatis perpetua poenitentia, perpetuaq; ignoscentia ac remissione peccati originalis opus esse. Neq; enim fatetur per baptismum peccatum illud semel auferri, sed tantum intuitu Christi baptizatis non imputari ad damnationem, si tamen peccato rursus non seruiant.

Censura.

Quo dicto manifeste extenuat gratiam baptismi & meritum sanguinis Christi. Casum uero primi parentis, per quem originale peccatum primū contraximus, facit grauiorem restauratione, quā Christus sua morte nobis conquisiuit. Aliter Augustinus & catholice ad Bonifacium Comitem scribit: Dicimus baptismum dare indulgētiā omnium peccatorum, & auferre crimina, nō radere: nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi raforum in capite capillorum, unde crescant iterum resecāda peccata. Sic Apostolus ad Rom. viij. Nihil damnatiōis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.

Bucerus damnatur naturam.

Dicit naturam nostrā repugnare deo, nec aliud facere posse: quod ne de diabolo quidem catholici ausint affirmare, ubi & Paulum male interpretatur, reddens pro animalis homo, naturalis, & uidetur damnare naturam bonam, ac sentire idem cum Lutero dicente, quod contritio ante gratiam gratum facientem faciat magis peccatorem. Quod autem hæc Lutheri sententia ipsi placeat, uel hinc apparet, q̄ alibi docet ueram poenitentiam ex uera fide & charitate dei nasci: quum plerumq; poenitentia fidem uiuam & charitatem dei præcedat, atq; ad hæc dei dona hominē disponat. Vnde Christus & apostoli prædicabant poenitentiam in remissionem peccatorum. Sic Actuum viij. Petrus adhortatur Simonem Magum; Poenitentiam age

Buceri error de origine poenitentiae.

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BVCERI.

ab hac nequitia tua, & roga deum, si forte remittatur tibi. Et Cornelio Centurioni profuerunt sua opera, antequam fidei lumē acciperet.

Consentit opera bona esse signa præsentis gratiæ dei, sed negat a Deo mereri, aut præmium hæreditatis cœlestis eis quouis modo deberi, contra illud Matthæi decimo nono. Omnis qui reliquerit domum, uel fratres &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Item: Voca operarios & redde illis mercedem, Matth. xx. Et illud: Non est iniustus deus, ut obliuiscatur operis vestri & dilectiōis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministratis sanctis & ministrastis. Hebræ. sexto. Et illud ij. Timoth. iij. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in die illa iustus iudex. Meremur enim ex promissione, quod utique est mereri, nam & ita merentur homines inuicem & appellant debitum.

Non admittit, ut angelos interellemus ad orandum pro nobis, quum tamen implorando angelos hoc precemur, ut faciant, quod alioqui faciunt. Offerunt enim oratiōes nostras ad deum, & custodiam nostri agunt. Apocaly. viij. & Tob. xij. Addit Christum meruisse angelis, quod sacris literis non est cōsentaneum. Venit enim homines saluos facere, & nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Hebræorum secundo.

Dehortatur quoque ab imploratione sanctorū ob id, quod Christus est summe misericors, aduocatus pro nobis apud patrem, & satisfactio pro peccatis nostris. Neque tamē id ipsum expressis verbis agit, sed rebus, quas ob oculos proponit, conatur efficere. Multis enim modis atterit implorationem hanc & eleuat, nec multum abest, quin videatur damnare, & ne ipsis quidē sanctis dicit admodum placere.

Prædicata est nobis Dei misericordia, in quam ancoram spei nostræ defiximus, & scimus ipsum nihilo minus esse iustum, atq; adeo nobis thronum gratiæ eius ad eundem esse cum fiducia, ut misericordiam consequamur. Ad hoc adhibemus nobiscum sanctos, tam eos, qui agunt in terris, q̄ qui viuunt in cœlis. Hoc enim deo placitum est & acceptum, ut per multorū intercessionem honoretur ipse, & nos adiuuemur. Oportet enim orare alterum pro altero, ut salutem consequamur. Hoc modo fecit Apostolus, & orationem pro se postulauit fieri. Theodosius cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca circumibat, & ante martyrum & apostolorum thecas iacebat humi prostratus, poscens fida sanctorum auxilia. Neq; tamen ideo putandi sunt diffidētia aliqua circa misericordiam dei languis-

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

se, sed multo magis, ut plurimorum intercessionibus adiuti recta deum adirent. Ita & nos demeremur nobis sanctos legitima ueneratione, precamurque, ut nobiscum orent Deum pro nobis. Non desperamus, non diffidimus, non dubitamus etiam, sed Deo hanc habemus reuerentiam, ut non arrogemus nobis supplicandi dignitatem, simulque rea nostra, adeoque trepida conscientia, consociatis sibi sanctis apostolis, martyribus, & Deo dilectis confessoribus, meliori cum fiducia thronum gratiae accedit. Hinc sunt Litaniae illae, quibus sanctorum agmina inclamamus, quarum usus peruetustus est. Cassiodorus enim Litaniarum meminit Tripart. histor. libro primo, & Nicephorus sub Valentiniano. Somnium est, quod quidam putant sub Gregorio primum auditas.

Error Bucerii de participatione bonorum operum.

Quemadmodum alibi negat nos mereri nobis, ita ubi de communiione sanctorum in vno corpore Christi agit, negat deum nobis quam concedere intuitu & ob merita sanctorum suorum, contra clarissimos sacrae scripturae textus, in hoc bonitati ac liberalitati diuinae blasphemio ore detrahens. Deus enim quaerit benefaciendi occasionem, & vult benefacta, obedientiamque sanctorum suorum tam abundanter, tamque copiose remunerare, ut merita ipsa possint non videri digna, quibus tantum praestetur. Sic Genesis xvi. dicit dominus ad Isaac: Dabo posteris tuis vniuersas regiones has, eo quod obedierit Abraham voci meae, & custodierit praecipua mea. Sic iij. Regum xv. de Abia rege: Propter Dauid dedit ei dominus lucernam in Hierusalem, ut suscitaret filium eius post eum, eo quod fecisset Dauid rectum in oculis domini, & non declinasset ab omnibus, quae praeeperat ei. Sic & iij. Reg. xix. Protegam urbem hanc propter me & propter Dauid seruum meum. Remunerat itaque Deus sanctorum suorum merita ex liberali sua gratia vel inuitis impijs & haereticis, quorum tanta est impietas, ut ne hoc quidem confiteantur, quod Laban ille idolorum cultor agnoscat. Genesis xxx. Experimento didici, ait ad Iacob, quia benedixit mihi Deus propter te. Et interim obtendit nobis Bucerus meritum Christi, quasi meritis sanctorum suorum Christo aliquid detrahatur, qui si recte intelligeret, merito Christi omnia pacata, siue quae in caelis sunt, siue quae in terris, concederet etiam meritis sanctorum hoc esse, quod per Christum sunt.

Error solatorum.

Vicinum est huic, quod paulo post subnectit: Eum, qui non omnem opem & consolationem apud Christum quaesierit, hunc non dignabitur agnoscere, neque sanctissima Christi mater, neque aliquis sanctorum, eo quod sancti hoc vnice & praeter omnibus quaerant, ut ipsum pro domino ac saluatore nostro semper agnoscamus & amplectamur.

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

mur. Et statim subiungit: Sanctis nullum acceptius, gratiusque obsequium, aut venerationem chariorem impendi posse, q̄ vt omnem opem & consolationem quæramus & accipiamus a solo Christo, & per CHRISTVM. Non ignoramus Deum, cum sit omnipotens, rerum omnium causa prima, omnia efficere, atque ad eo ab ipso descendere omnem consolationem, omneque auxilium, quo infirmitati nostræ succurritur, attamen non peragit omnia sine medijs vllis solus. Impressit enim non nihil virium & potentiae suis creaturis, secundum quas operentur & agant cōsequenter: vt Soli dedit lucere & illuminare, dedit igni calefacere. Atq; hæc eius potentiae & bonitatis est gloria præcipua, q̄d nō mō ipse sit potens operari, verum etiam potuerit creaturis dare operandi efficaciam. Iam absurdum fuerit neglecto igne, quando calore opus est, a Christo calorem sine vllis medijs petere, & neglecto Sole quærere lumen a Christo in specu quopiam subterraneo. Quid enim esset hoc aliud, q̄ Deo illudere, aut ipsum tentare? Manifestum est igitur, nos recte & secundum Dei voluntatem, rerum creaturarum vti subsidio cum agnitione creatoris, qui hanc potentiam suis creaturis indidit. Ad eundem modum licet ab homine q̄que cōsolationem & auxilium poscere. Nam & homini dedit Deus auxiliari & cōsolari posse suum fratrem, q̄d ipsum apostolos & sanctos viros nō raro fecisse compertissimum est. Hoc cum non ignoret Bucerus, nihilo minus dicit a solo Christo omnem opem, omnemq; cōsolationem esse petendam, atque hanc esse venerationem sanctorum, quæ sit ipsis gratissima. Cui sophisticam addit rationem, subindicans quod si quis ab alio quopiam, q̄ a Christo solo hæc petat, cōsequi vt videatur Christum neglexisse, nec eum pro domino & saluatore agnouisse. Fallacis istius cōsequentiæ technas nō omnes deprehendunt, & tamen omnes optant Christum habere saluatorem & dominum. Hinc simplices, & qui de cōsequentiâ iudicare nō possunt, illationem cōsequi putant, & redduntur perplexi.

Rom. 15.
2. Cor. 1.

Nec multum dissimile est huic, q̄d habet eodem loco: Et si quis oret pro nobis, quam diu nō ipsi conuertimur ad Deum & oramus, nō potest nobis succurri, quod teutonice, & diserte his verbis exprimit: So mach vns nit geholfen vuerden. Secundum quam sententiam fatetur orasse quidē Stephanum pro salute Pauli, & Paulum pro salute aliorū, at negat quenq; propter istas orōnes cōsequutū salutē, nisi vbi se quisq; cōuertisset, & ipse quoq; orasset. Quali quis seipsum ex suis viribus vnquam cōuerterit, & nō potius conuertat nos Deus, vt cōuertamur. Atq; vt id ipsum Deus in nobis efficiat, nequeant sancti ab eo obtinere, contra tam infinitas scripturarum autoritates, & receptam totius Ecclesiæ fidem. Sed quorsum abripitur, quod negat

Actu. 7.
Rom. 1.
Philip. 1.
1. Thes. 1.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

Matt. xv. gat apostolos pro muliere Chananæa orantes exauditos, contra orthodoxorum patrum sententiam? An credit omnino ei, qui non ipse orat, nihil impetrari posse? Legat Lucæ quarto apostolos pro socio Petri febribus affecta orasse & impetrasse. Ostendat autem & ipsam similiter orasse. Apud Marcum quinto filia Archisynagogi defuncta non orat & pater filia impetrat vitam. Sanatur lunaticus intercedente patre. Lucæ ix. Sic Matthæi ix. Vidit Iesus fidem offerentiũ & paralyticum sanat. Et ipsa quoq; Chananæa orat, sed filia sanatur.

Dicit solum Christum habere omnem potestatem in cœlis & in terris, ipsumq; solum hoc esse, facere & dare, quod vtiliter petimus. Dicit, solus Christus, quasi pater sit sua potestate despoliatus. Iã Christus sacramentorum suorum ministerio beneficia sua nobis confert, quædam etiam alijs vijs nobis impartit, quæ certe aliud sunt, q̃ ipse Christus. Adeo solitudinis nomen solarijs istis arridet, vt etiam sine iudicio fere abutantur.

Matt. vl. Dicit summam Euangelicæ doctrinæ huc spectare, vt prædicetur per nomen Christi pœnitentia & remissio peccatorum: cum ablegans apostolos suos Christus in orbem vniuersum hoc dederit m̃ datum: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandauì vobis.

Coniungit simul sacrae scripturae doctrinam & traditionem, de quibus idem facit iudicium, & asserit patres omnes tam doctrinæ, q̃ traditioni sacrae scripturae in omnibus & credidisse, & sine dubitatione semper paruisse.

Traditiones seu instituta apostolorum mutatur interdũ. Quod dictum, quantum ad doctrinam attinet, verum est: falsum vero de traditione. Neq; enim ita diu in ecclesia durauit apostolicae traditionis institutio, quæ habetur Actuum xv. Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, q̃ hæc necessaria, vt abstineatis vos a simulachris, suffocato, & sanguine: nam & ipse Paulus præcepit manducantem non iudicare. Neq; item quæ Paulus pro tempore illo tradidit, perpetuo sunt in ecclesia obseruata: vt pulchre deducit Ambrosius in epistolam ad Ephesios.

Subiungit Bucerus, doctrinis & traditionibus reliquorum omnium scriptorum, quantumuis docti fuerint & sancti, aut quantavis multitudine congregati, patres & maiores nostros neque fidẽ habuisse, neq; paruisse, nisi quatenus doctrinæ istæ & traditiones verbo Dei

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

Dei statui & probari poterant.

Quod de vtrisque falsum esse conuincitur. Primum enim semper docuerunt patres, deficiente sacra scriptura, acquiescere doctrinae in Ecclesia receptae, & sententiae sanctorum patrum, vt habet Augustinus contra Manichaeos. Palam est, inquiens, quod in re dubia ad fidem & certitudinem valeat autoritas Ecclesiae catholicae, & habetur distinctione vndecima, Cano. Palam. Deinde quod ad traditionem attinet, nunquam fuit dubitatum, quin potuerit Ecclesia in his rebus, de quibus nihil certi statuit sacra scriptura, leges condere, vt habet Augustinus ad Casulanum, & allegatur distinctione vndecima, Can. In his rebus. Item in libro de fide Christiana, & allegatur eadem distincti. Cano. Catholica Ecclesia. Et libro secundo contra Donatistas, quem locum Bucerus more suo pro se citat, quum faciat contra ipsum. Apparet autem Bucerus hac sua assertione voluisse Concilia vniuersalia haereticis omnibus inuisa eleuare, & autoritatem ipsis detrahere.

Non caret suspitione, quod vbi agit de Confirmatione, non appellat eam sacramentum, neque de ministro Confirmationis, nempe de Episcopo, ad quem proprie pertinet manuum impositio, neque de Chrismate, vllam facit mentionem, contra tot veterum canonum & sacrorum Conciliorum decreta.

Bucerus
Confirmati-
onis sacra-
mentum
praeterit.

Ritum celebrandi missas haecenus in Ecclesia vsitatum videtur profus abrogare & auferre, & nouam missandi formam introducere velle. Et in primis, vbi fundamentum pro abrogandis missis priuatis statuit, aperte impingit. Affirmat enim coenae dominicae interfuisse omnes, quotquot Christo perfecte adhaerebant, nec deprehensi fuerant aliud fecisse, quum neque Zachaeus, neque Lazarus, neque mulieres, quae dominum sequebantur, neque item septuaginta illi discipuli, coenae legantur interfuisse, sed tantum apostoli duodecim.

Missam
Buce. stude-
t euertere.

Matt. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.

Auferit missas priuatas, nec admittit missarum pluralitatem, concludens quod in vna Ecclesia, vna sola coena, eaque omnibus communiter impartienda sit: quum vnus tantum sit Christus huius coenae ciuis. Quasi non sit idem sacramentum, quod Romae & Coloniae, quod in templis diuersis, aut in eodem templo per diuersa altaria exhibetur. Siquidem locorum distantia non potest discindere synaxim, vt quae constat ex vnitae sacramenti, non loci. Fuisse autem & olim in Ecclesia plurium ac priuatarum missarum vsus, & non ita recenter consuetudinem priuatas missas ac plures in eodem templo celebrandi introductam, manifestat plerique canones ex antiquissimis patribus

Auferit
priuatas
missas &
eae pluralitatem.

bus

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.
bus relati in Decretum; De consecratione distinctione prima.

Buce. dā-
nat nō iu-
dicatos.

Præterea permittit sacerdoti secundum præsumptum suum de facie externa iudicium repellere a communione peccatorem nōdum condemnatum aut declaratum, contra Ecclesiasticæ disciplinæ formam & legem de correptione fraterna. Matthæi decimo octavo: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Sequitur: Si Ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Huic est simile, quod iubet vitare ministerium malorum sacerdotum, priusquam diiudicentur, aut secundum regulam Evangelicam corripiantur. Allegat Cyprianum libro primo epistol. tertia, & libro secundo epistol. decima, cum tamen vtraque epistol. nihil ad hanc intentionem conferat, sed magis faciat contra Bucerum in hoc, quod Cyprianus excludit præcipue hæreticos a communione & Ecclesia.

Non caret suspitione, quod ubi tam disertè de Eucharistia ait, non meminit commixtionis aquæ cum vino, quin nihil fere sonat aliud, q̄ panem & vinum, contra sacros canones & patrum definitiones, in quibus dicitur Cyprianus asserit hanc commixtionem ex Christi institutione in Ecclesiam derivatam.

Hæreses
Bucer. de
corpore
& sangui-
ne dñi.

Plane & expresse dicit, in pane & vino domini administrari nobis verum eius corpus & verum sanguinem. Quod dictum plura complectitur. Primum, esse simul in hoc sacramento res quatuor, quæ porrigantur nobis, scilicet panem, vinum, corpus, & sanguinem. Ipse tamen tres tantum supputat, panem, vinum & corpus, qualoquendi forma, neque scriptura, neque patres vnquam sunt vsi, sed novitium est Buceri figmentum. Dicit CHRISTVS: Hoc est corpus meum. Dicit Bucerus: In hoc datur corpus meum. Alterum, nullam esse cōversionem seu transubstantiationem panis in CHRISTI corpus, aut vini in eius sanguinem, contra sanctorum Conciliorum definitiones, & tam Græcorum q̄ Latinorum orthodoxorum patrum sententiam. Tertium, in solo vsu & administratione sacramenti, tantum cum accipitur aut bibitur, adesse sanguinem & corpus domini. Atque hinc quarto fiet, vt non liceat conseruare, neque conseruatum adorare sacramentum. Ac quinto demum, vt non liceat de loco ad locum transferre, cum tamen veteris Ecclesiæ patres nō longe ab apostolorum tempore hæc fecerint & facere docuerint. Nec est difficile isthuc ipsum ex patribus, ex indubitatis historijs, & generalium Conciliorum & Synodorum constitutionibus & decretis com-
monstrare.

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BV CERL

Contendit communiōem sub vtraqꝫ specie esse omnibus Christi
anis necessariam, quum propter institutionem & mandatum Christi
fici dicentis: Bibite ex hoc omnes: tum quod iusserit CHRISTVS:
Hoc facite in meam commemorationem. Hic ait Bucerus, nemo de-
bet contemnere tam graue mandatum, nemo debet præsumere vel-
le melius statuere, modo CHRISTVM agnoscat suum Deum &
saluatorem. Ita dicit Ecclesias Christi facere, quasi quæ dat speciem
vnam, sit Ecclesia diaboli.

De cōmu-
niōe sub
vtraqꝫ spe-
cie.

Scimus liberum fuisse olim sub vna vel duabus speciebus com-
municare, neque quod tunc fiebat, per nos improbatur. Quum sci-
rent autem Christi fideles, & indubitato crederent, Christum non
esse dissectum in partes duas secūdum duo sacramenti huius signa,
& quantum accipitur sub specie vtraqꝫ, tantundē accipere de Chri-
sto, qui alteram solam perciperet. Deniqꝫ mandatū Christi pertinere
magis ad rem sacramenti, q̄ ad signa externa, non dubitauerunt qui-
dam a calice abstinere, cōtenti totum Christum sub panis specie acce-
pisse. Neqꝫ hoc ita nuper fieri coeptū in Ecclesia, quū sub Gelasio Pa-
pa, qui vixit ante annos abhinc mille, ea cōsuetudo vsqꝫ nunc inualue-
rit. Itidem seculo illo tentabant & sacerdotes committere: quidam e-
nim sumpta corporis dominici portione, a calice sacrati cruoris, in-
quit Gelasius, abstinebant, si tamen verum est, qd in explicando Ge-
lasio dicit Bucerus, sumere & abstinere esse sacerdotum: plebeiorum
vero accipere & arceri. Habet enim Gelasius, quod sumpto corpore
abstinuerint a calice sanguinis. Nunquam autem licuit sacerdotibus,
quod faciebant laici, sibi permittere, vt quorum sit consecrare & of-
ferre secundum Christi exemplum, quem in altari representant, &
mysteria integra tractare atque conficere, quæ sine grandi sacrilegio
diuidi non possunt. Hinc præcipit, vt qui non sumentes ipsi absti-
nent, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.
Verum quis ad hanc necessitatem coget laicos, Christum in sacra-
mento percipientes, non autem representantes: altaris mysteria con-
templantes, non conficientes, sed fructum tantum expectantes, quem
quum sub alterutra tantum specie totum percipiant, rebus contenti,
& Deo gratias cum omni humilitate & deuotione agentes, non sunt
de speciebus amplius solliciti? Quæ quum sit pia, religiosa, simplex &
sancta deuotio, quanta est calumnia talibus affingere, quod contem-
nant mandatum Dei, quod non agnoscunt Christum Deum & sal-
uatorem suum esse, velint potiora, q̄ ipse instituerit, tradere? Quum
nullum legamus de vtriusque speciei communiōe mandatum, quod
ad omnes, etiam plebeios, pertineat. Et si quid forsan appareat alicui
præceptum, quantum ad communiōem attinet, quis nesciat hoc ma-

Ante ans-
nos plus
mille sub
vna spe-
cie cōmu-
nicatum.

Sacerdo-
tes debēt
vtrāqꝫ spe-
ciem su-
mere.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

gis ad rem sacramenti, q̄ ad externa signa pertinere? Et Apostolus ait: Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus: non facta calicis (secūndum Græcorum & veterum Latinorum codicum fidem) mentione. Proinde hanc cōsuetudinem tot annorum seculis in Ecclesia Christi receptam, & vsu longo comprobata, patres in Concilio Constantiensi, sessione xiiij. atq; item in Concilio Basiliensi, sessione xxx. pro lege susceperunt, quam non liceat priuato cuique pro suo sensu discindere, & schisma in Ecclesiam Dei introducere. Neq; hoc debet alicui videri nouum, aut ab Ecclesiastica regula alienum, quod traditiones interdum ex causis iustis variantur, salua doctrinæ integritate. Sic enim & apostoli fecerunt, qui aliquoties baptizarunt in nomine Iesu, quum Christus iussisset & disertis verbis mandasset baptizare omnes gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Paulus & post Paulum tota Ecclesia non mutarunt, sed abrogarunt constitutionem apostolorum per spiritum sanctum, atq; adeo per ipsum Christum traditam, quæ habetur Actu. decimo quinto. Visum est spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, q̄ hæc necessaria, vt abstinere vos ab immolatis simulachrorum & suffocato & sanguine. Vbi & hoc annotandum, quod istorum obseruantia dicitur necessaria, & tamen nunc est abrogata. Idem Paulus formam dominicæ cœnæ in parte saltem mutauit. Ecclesia cum incrementum & vires accepisset, præcepit ieiunos communicare: quæ consuetudo etiamnum durat in Ecclesia, quum apostoli post cœnam communicassent. Fuit aliquando vsus in Ecclesia Eucharistiam etiam paruulis dandi & sensu capitis, quod vtiliter vetitum est fieri. Olim in Ecclesia præsentibus & pœtibus dabatur vtriusq; speciei cōmunio: absentibus autem & infirmis mittebatur communio vnus speciei, quod non est difficile ex multis canonibus & vniuersalibus Concilijs demonstrare. Proinde non oportet de necessitate eum ritum cœnæ dominicæ omnibus imponere, quem obseruauit Christus. Alioqui erunt & cœnantibus pedes lauandi, & agnus comedendus cum azymis, secundum Iudaici ritus consuetudinem. At quis nisi insanus ita constituat? Ex quibus fit perspicuum, accipientes & dantes, contra Ecclesiæ consuetudinem Conciliorum autoritate firmatam, vtramq; sacramenti speciem, recedere non quidem a fide catholica, nisi credant Christum quoq; diuisum, sed ab vnitate & obediētia Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, atq; adeo esse schismaticos. Eos vero, qui docent aut vnam solam, aut duas simul species esse de necessitate salutis necessario accipiendas, hæretica docere, quum res ipsæ potius, q̄ signa sint de necessitate salutis, & in Ecclesia præsentia vtramq; speciem sacerdotes accipiant, & laici vnâ non vtiq; ad damnationem, sed ad salutem.

Hæreticū est asserere vtrāq; speciem esse necessariam.

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

Diuidit corpus & sanguinē Christi secūdum panis & vini exteras species, atq; adeo Christum ipsum perfidus iste diuidit. Si enim non diuidit, ita suam fidem explicet, vt simplices eius scripta legentes, in eam opinionem non prolabantur.

Buce. se-
parat cor-
pus Chri-
sti à san-
guine, &
ediuerso.

Tradit non solum presbyterum consecrare, sed cum illo & consecrare & sacrificare populum quoq;.

At quum vbique fere proponat nobis Bucerus exemplum Christi, quærendum ab ipso putamus, cur hic a Christi exemplo tam alienus est? An forte credit non Christum solum, sed cum Christo consecrauisse & sacrificasse ipsos quoque apostolos? Ita perit sapiens in sapientia sua, ut obscuri abbatis dictum, Christi factō & Ecclesiasticæ doctrinæ præponat: tametsi fatendum est populum sacrificio sacerdotis consentire.

Oblationis & sacrificij vocabulum prauissime huc illucque detorquet, si quo modo queat magistro suo Luthero neganti missam esse sacrificium patrocinari, & sacrificij vocabulo aliam, q̄ habeat, si- gnificationem affingere. Cōfiteatur vsitatum patribus, quod in missa Christi corpus imoletur, offeratur, sacrificet Deo patri pro nobis.

Buce. in
gratiam
Lutheri
veritatem
sacrificij
negat.

Neque hoc negare potest, quum id testentur Dionysius, Cyprianus, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, & veteres prope omnes. At Bucerus contendit hæc verba, immolare & sacrificare, nihil aliud esse q̄ sanctificare, distribuere, percipere, gratias agere, offerre denique totam Ecclesiam Deo per CHRISTVM, & id ipsum elemosynis testari. Quis autem tam rudis est literarum, vt nesciat aliud esse immolare & sacrificare, q̄ sit sanctificare, percipere, gratias agere, hæc ipsa, quæ Bucerus habet? Quin hucusque hostiæ salutaris inimicus descendit, vt interpretetur, offertur pro nobis, id esse quod annunciatur & distribuitur nobis. Est quidem verum, oblationem hanc sanctificari & distribui nobis, verum nihilo minus supra hæc offertur quoq; & sacrificatur Deo patri pro nobis.

Inter hæc affingit nobis ridiculam opinionem, quasi credamus in hoc sacrificio Deo patri suum filium dono dari, aut certe quasi credamus hoc opere filium reddere acceptabilem Deo patri pro nobis.

Quis hæc vnquam, quæ impostor ille nobis affingit, vel per somnium cogitauit? Nos vero perpetuum illud sacrificium & oblatio-

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

nem inæstimabilem sistimus ante patrem, cui filij passionem & sacrificium repræsentamus, orantes vt pater sacrificium illud odoratissimum pro satisfactione delictorum nostrorum suscipiat, nobisq; reconcilietur, qui iam sumus illi concorporales facti. Atque hoc pacto illum ipsum, qui perpetuum sacrificium est, neque vnquam ab eo, quo pendit in cruce, tempore sacrificium esse cessauit, votis omnibus cupimus pro nobis suscipi, ac nos per ipsum & in ipso reconciliari.

Rursus Sacramentarius impingit & dicit inutilem oblationem ei, qui non percipit communicando.

Absentes
& defun-
ctos ex-
cludit Bu-
ce. à fru-
ctu missæ.
Sacrificiū
pro de-
functis.

Quo dicto palam excludit omnes absentes, omnesque vita defunctos a sacrificij istius fructu, contra Ecclesiæ & orthodoxorum patrum fidem. Claret enim ex epistol. nona libri primi Cypriani, olim in missa pro defunctis supplicatum & sacrificatum. Sic Augustinus in Encheridio ad Laurentium: Neq; negandum est (inquit) defunctorum animas pietate viuentium leuari, quum pro illis sacrificium mediatoris offertur. Ea; sententia est Augustino pluribus in locis vsitata, sed & alij pleriq; patres id ipsum expresse nobis attestantur, e quibus libuit Ioannis Damasceni, quem Oecolampadius Latinum fecit, verba subiicere: Apostoli (inquit) discipuli saluatoris, qui totum mundi circulum viuum cepere prædicando verbum, quod suis oculis viderant, in tremendis vitalibusque sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormierant, habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter, atq; adeo sine cōtradictione obseruat apostolica & catholica Ecclesia Christi & Dei, a finibus vsq; ad fines terræ, ab eoq; tempore vsq; ad præsens, & in finem mundi vsq;. Hæc Damascenus.

Vniformis ritus
celebrandi
missas Bu-
cero dis-
plicet.

In suggillationem Ecclesiasticæ consuetudinis proponit nascentis Ecclesiæ initia, quando nondum erat stata aliqua & præscripta forma missas celebrandi in Ecclesiam introducta, & videtur hanc libertatem probare & optare, vt relinquatur arbitrio sacerdotis, quo ritu & qua velit forma celebrare. Vnde confusio, sectæ, schismata, & perpetuæ cōtentiones in Ecclesia absq; dubio nascerentur. Quod cum patres experimento didicissent, voluissentq; Ecclesiæ vnitati & concordie bene & optime consultum, constituerunt, vt in præcipuis missæ partibus per omnes Ecclesias vniformis ritus obseruaretur. Hinc est ille Canon ex Concilio Gerundenſi in Decretum relatus, de consecratione distinctione secunda, Cano. Institutio missarum.

Bu. nō cō-
munican-
tes exclus-

Adstantibus & missam, quamuis religiose, audientibus nihil videtur fructus ex ea tribuere, nisi simul sacramento communicet: quum &

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI

& orationum & laudum & gratiarum & pacis, atq; oblationis sint haud dubium participes, possintq; etsi non per externa signa, saltem per fidem in voto communicare secundum illud Augustini: Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducasti. Ad idem valet Canon de consecra. distin. prima. Missas die dominico. Sed quomodo probat, quod de suo sensu nobis pro Evangelica traditione effutit?

dit à missa.
Audiētes cōmunicāt votis & fide.

Admiscet ibidem calumniam & nos traducit, quasi in Ecclesia nostra, quæ est catholica, non habeatur memoria passionis & beneficiorum Christi, sed remittantur homines ad externum cultum & actiones sacerdotis, & nō ad sacrificium & opus Christi, quum Sacramentarij ipsi videantur potius in hac parte, q̄ nos, peccare.

Vbi de pœnitentia agit, numerat quidem contritionem, confessionem, & emendationem pœnitentiæ partes. Verum cōfessionem non videtur exigere propter absolutionem & peccatorum remissionem, sed magis propter informationem & consilium, quo simplices semper indigent. Ac peccatorum enumerationem adeo nō exigit, vt derideat etiam. At quomodo accusabit se peccator, nisi enumeret peccata, quorum sibi conscius est, vt ab ijs absoluatur? Oportet enim absolutionem confessio vt præcedat, sicut scriptum est: Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Esaiaë quadragesimo tertio. Et cum in peccatorum enumeratione luxanda sit admodum facilis, est aliud horrendum quiddam, quod extorqueat, nimirum:

Error Bucc. de confessione.

Vult vt confiteamur omnia opera nostra esse iniqua, diuinæ maiestatis offensiuæ, & æterna damnatione digna.

Bucc. damnat oia opera nostra.

Si autem hoc verum est, quid Christiani habemus præ ethnicis & incredulis amplius? Quantulum distant opera nostra ab operibus illorum, si hoc malum est nobis cum ethnicis commune? Et quid grauius poterit illorum operibus ascribi, q̄ hic nostris tribuat? Et tamen ne illorum quidem opera audet Apostolus tantæ damnationi submittere. Ait enim ad Roma. ij. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum in die, cum iudicabit dominus occulta hominum. Et quis, nisi impius, dicat, omnia opera Cornelij Centurionis, nondum licet regenerati, fuisse diuinæ maiestatis offensiuæ? Tantum abest, vt verum iudicium de operibus regeneratorum in Christo Bucerus pronūciauerit: quum sint ipsorum opera bona & sancta, ipsosq; comitentur in vitam futuram, secundum illud Apocaly. Opera enim illorum sequuntur

Actu. 10.

Apoc. 14.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

eos. Sic pri. ad Corinth. decimo quinto: Stabiles estote & immobiles, abundantes in opere domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in domino. Et ad Roma. viij. Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Sic quoque ij. ad Timotheum secundo: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiae. Esaia xxxviij. Memento quae so quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.

Buce. reg
rit opera
pccniten
tia, sed ne
gat esse sa
tisfacto
ria.

Opera poenitentiae requirit quidem, sed negat esse satisfactoria. Contendit enim per opera poenitentiae non compensari peccata praeterita, neque esse ullam peccatorum nostrorum satisfactionem praeter sanguinem CHRISTI. Eaque de causa torquet in alienam sententiam, quod dicitur Daniel. quarto: Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscat Deus delictis tuis. Cyprianum quoque peruertit in sensum verbi contrarium.

Per Dei
gratiam
opera no
stra sunt
satisfac
toria.

Psal. 7.

In xxi. ca.
Ioan.

Sed quid attinet eam vim facere Danieli & Cypriano, & impotenter contra spiritum scripturae luctari, qui disertis verbis satisfactionem expressit tam innumeris testimonijs? Quanto melius haereticus iste docuisset, Dei misericordiam esse, quod sustinet delicta nostra operum satisfactione compensari. Non quidem satisfactione reconciliationis aut propiciationis, quam soli CHRISTO referimus acceptam (sumus enim per sanguinem ipsius, quum fuisset inimici, Deo reconciliati) sed satisfactione vindicatoria & emendationis, quam debemus de nobisipsis sumere, ne incidamus in manus Dei iudicis iusti, apud quem tanta est iustitia, quanta misericordia. Ita pri. Corinthiorum vndecimo inquit Apostolus: Quod si nos ipsos diiudicemus, non utique iudicemur; dum autem iudicamur, a domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Et haec est vindicta illa & satisfactio, quam operatur poenitentia stabilis in salutem. ij. Corinthio. septimo. Atque in hunc modum loquitur Augustinus de afflictionibus, quas perpetimur post reconciliationem, tractatu cxxiij. in Ioannem. Item in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus docet satisfacere per opera commissis peccatis contraria. Ita Cyprianus sermone v. de lapsis: Ne cesset in agenda poenitentia, atque domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Confiteantur singuli delictum suum, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud dominum grata est. Et primo libro epistola tertia:

Satis

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BVCKERI.

Satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta redimere. Hoc modo patres reliqui, quod de satisfactione censuerunt, simplicissimis verbis exposuerunt, alludentes ad illud Apocal. xvij. Quantum se gloriaficauit & in delictis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Qui facit patres aliud, quā verbis dixerūt, sentire: fatebitur aut falsa mente fuisse, vt qui aliud dixerint, aliud senserint: aut linguæ Latinæ tam imperitos, vt quid satisfactio significet, ignorauerint.

Tandem subiungit remissionem peccatorum non expectandam propter nostram confessionem, aut opus sacerdotis, sed propter absolutionem: at absolutio est opus sacerdotis, secundum illud: Quorum remisistis peccata, &c.

Vbi de ordine Ecclesiastico agit, diuidit vniuersum populū Christianum in duas tantum partes, nempe Clericos & laicos. Clericos dicit esse, qui publico ministerio perfunguntur in Ecclesia ad plebē: quales sunt apostoli, prophetæ, Euāgelistæ, pastores, doctores, Episcopi, presbyteri, quibus adiicit Archidiaconos, diaconos & subdiaconos. Cæteros omnes, qui nullo ministerio ad plebem in Ecclesia perfunguntur, reijcit ad laicos.

Cantores negat Ecclesiasticum ministerium exercere: vult autem vt infimus gradus Clericorum sit esse lectorem, vnde cantores ad laicos reijcit, contra canonem apostolorum xliij. qui cantores numerat inter Clericos. Itidem faciunt patres, historiæ veteres & Synodi.

Nec videtur sacerdotij ordinem relinquere in Ecclesia, sed innuere magis, omnes Christianos esse sacerdotes. Imo vbi de Eucharistia agit, habet pro confesso, nos omnes esse sacerdotes. Et quum agat illic de sacrificio, quis aliud intelligat sacerdotium, quā Eucharistiæ consecratio & sacrificium requirat: Huc facit, quod ministros huius sacramenti alicubi appellat seniores, eltern, volens (vt apparet) innuere, quum habeat omnes pro sacerdotibus, posse ex vniuerso Christianorum cœtu, ætate aut moribus senem quemlibet ad sacrificandum & consecrandum adhiberi. Est autem damnata hæresis, hoc sacrificium per quoslibet posse confici & sacrificari, nisi accepta ordinatione & manuum impositione ab Episcopo. In Concilio Niceno, Canone decimo octauo, declararunt patres, quod sacerdos habeat potestatem offerendi, non autem diaconus, secundum quam sententiam de summa Trinitate & fide catholica, Cano. Firmiter, dicitur in cōstitutione Innocentij tertij in Cōcilio generali: Hoc vtiq; sacramentum (loquitur de sacramento Eucharistiæ) nemo potest conficere,

B. aufert
sacerdos
tij ordi-
nem.

B. iij nisi

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO,

nisi solus sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesie, quas ipse concessit apostolis, eorumque successoribus Iesus Christus. Quanquam generali quadam significatione fatendum sit, omnes Christianos esse sacerdotes, propterea quod se, suaque omnia deo offerant.

Monachos quoque & regulares (ita enim Canonicos appellat) negat esse ministros ecclesie: contendit autem non esse, sed solo nomine appellari Clericos, quos & ipsos propterea inter laicos numerat. Nec est obscurum, qua intentione illud faciat.

Hæc quum tam fidenter pronunciet, non ignorat tamen aliter se habere: nam varia quondam fuerunt monachorum instituta. Quisdam enim in monasterijs habitabant cœnobiticam vitam agentes: alij per eremum dispersi anachoritæ sunt dicti. Persequutionis tempore innumera laicorum multitudo ad eremum confugit: & hi quoque proprium & admirandum vitæ genus sibi constituerunt, & in tantum successu temporis succreuerunt, ut per Imperatores ad militiam cogerentur. Verum hodie ex omnibus monachorum generibus soli fere cœnobitæ restant, & illi potissimum, quorum originem Eusebius Cæsariensis libro ij. historiæ Ecclesiasticæ ex Philone refert sub Marco Euangelista apud Alexandriam, qui continentiam professi in commune conferebant sua omnia, ut inde communiter viveretur, psalmos & hymnos veterum diu noctuque canebant, & novos quoque componebant, omnibus eos & metris & sonis honesta satis & suavi compagne modulantes. Non viri tantum, sed & sceminae virginitatem sectantes, quibus post Eusebium Sozomenus refert domos fuisse sacroraria, quæ *σκηναὶ* & monasteria nuncupantur, in quibus hoc genus virtutis diuinæ mentem habens semper contemplatur omnium creatorem Deum, & eum die noctuque colere conuersatione solitaria, diuina celebrare mysteria, psalmis, hymnis, & Litanij placere sibi studet, ut habetur Tripartitæ historiæ libro primo. Secundum quorum institutum Magnus quoque Basilii docuit in vnum coire, monasteria construere, psalmis, hymnis, & orationibus vacare, ut habetur Ecclesiasticæ historiæ libro xi. Hinc tam multa monasteria, multaque collegia, in quibus non quidem ministerio sacramentorum seruitur principaliter, sed grex canentium & laudantium Deum habitat, per principes & Imperatores religiosissimos constituta & fundata sunt. Hos veteres cultores & cultrices appellarunt, qui tamen postea etiam monachi & monachæ sunt dicti. Ex quibus cum Ecclesia crescente, varia viuendi instituta nascerentur, remansit monachicum nomen apud cœnobitas eos, qui seuerius: at qui laxius & remissius aliquanto genus vitæ elegerunt, regulares, seu a Græca voce Canonici sunt nuncupati.

Varia monachorum instituta.

Cœnobitæ.

Monasteria in Ecclesia primitiua.

Qui monachorum nomine intelligantur.

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

cupati. Communiter tamen omnes, nunc religiosi, nunc spirituales, nonnunquam Ecclesiastici appellantur, quibus nominibus a laicis secerantur, & nihilo minus, qui sacris iniantur, sunt & Clerici.

Iam ut fortasse verum sit, quod apostolorum tempore, quando nulli erant distincti monachi, populus Christianus fuerit diuisus in Clericos & laicos, non est tamen quod Bucerus affirmat verum, monachos apud veteres inter laicos recensitos. Siquidem a tempore, quo coepit Ecclesia florere, cultus diuinus augescere, monasteria & collegia edificari, semper fuerunt monachi a laicis discreti. Hinc Chalcedonense Concilium diuidit populum Christianum in Clericos, monachos & laicos. Can. iij. vi. & vij. Itidem pleraque alia Concilia faciunt. Verum non diu durauit ista distinctio. Statim enim coeperunt pars populi Christiani appellari religiosi, in quibus erant monachi & Clerici; pars seculares, quo nomine laici veniebant. Hinc tam multi, iudeque veteres canones, qui utriusque suam regulam & viuendi formam praescribunt, religiosi scilicet & secularibus.

B. falsus.

Monachi à laicis discreti.

Qui laici.

Quod Bucerus ex Concilio Chalcedonensi remouet monachos a rebus, bonis, & functionibus Ecclesiasticis, similiter iniquum est. Concilium enim Chalcedonense hoc solum habet, quod non liceat Clericis & monachis conducere praedia aliena, & se secularibus miscere negocijs, in quo ipso quoque Canone monachi cum Clericis a laicis tanquam secularibus separantur: adeo non faciunt pro falsario isto canones, quos pro se citat. Canon quartus prohibet monachis, ne relictis monasterijs Ecclesiastica vel secularia negocia perturbent. Canon xvi. habet, virginem, quae se Deo domino consecrauit, similiter & monachum, non licere nuptialia iura contrahere. Quod si hoc inueni fuerint perpetrantes, excommunicentur. Sed quid haec pro Bucero, aut contra nos, ut opponat monachis Concilium Chalcedonense? At xxiiij. Canon eiusdem Concilij plane contra Bucero facit. Non enim solum permittit monachis praedia possidere, quin etiam confirmat & statuit, ne monasteriorum bona vertantur in usus seculares. Quando vero Bucerus hoc modo allegat patres & canones, & falsa suffragia mendicat, quis non uideat, quo spiritu agitur?

B. falsus.

Vbi de operibus agit, dicit Deum nihil precepisse praeter opera proximo commodantia, eaque sola esse opera bona: false nimirum & pessime. CHRISTVS enim Mariam sedentem ad pedes & verbum audientem negociosa Marthae praetulit. Sed ex spiritu, quo cetera, haec quoque sunt in suggillationem sanctorum anachoritarum, eremitarum, monachorum, & contemplatiuorum patrum dicta, ut qui ne-

Error B. de bonis operibus

glexe

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.
glexerint secūdum Bucerum id, quod Deus vnice præcepit. Sed non
est mirum isthæc apostatam asseuerare.

Hinc est & illud prophani pectoris votum, quo optat vt Clerici & monachi ad ea Ecclesiæ ministeria, quæ ipse videtur exigere, inepti, aut non satis voluntarij, relicto instituto Clericali & monachico, præfiantur negocijs secularibus. An vero hoc est reformare? Contra illud Christi: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno dei. Sic Augustinus in Psalm. lxxxiiij. Quibus placet, relicta omni spe seculari, & omni actione terrena, conferre se in societatem sanctorum, in communem illam vitam, vbi non dicit aliquis aliquid sibi proprium, sed sunt illis omnia communia, & est anima vna, & cor vnum in Deum. Quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur, qualis ille, qui non intrauit. Ille enim nondum accessit, iste retro respexit. In eandem sententiam loquitur Psalm. lxxv. vt de alijs patribus & innumeris canonibus taceamus. Atat quid sibi velint per Bucerum oblata libertas, & tam blandæ Syrenes, non est obscurum.

Bu. per
mittit
absq; or
dinatione
ministeria Eccle
siæ inuade
re.

Ioan. à
Leyden
rex Monasterien
sis.

Dei voca
tio qua
lis;

Nec istud item suspicione caret, quod ordinem non appellat sacramentum, neque meminit, quod ad solos Episcopos spectet ordinare. Et aperte satis videtur admittere cuilibet inuadere & occupare Ecclesiæ ministeria, non habita, neque electionis, neque consecrationis, aut ordinariæ institutionis vlla ratione, tantum si quis se ipsum iudicet ad ministeria idoneum, & spiritus occulta inspiratione vocetur. Vt sit Ecclesia tanquam infernus, vbi nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Addit eum, qui se nouit a deo vocatum, recte occupare ministerium, licet contra institutionem & legitimum ordinem inuadat. Hac assertionem sibi & omnibus pseudoprophetis fenestram aperit incurfandi ouile, & in gregem domini pro libidine & impune grassandi. Hæc fuit omnium pseudoprophetarum vox: Dominus misit me. Hinc Hieremiæ xiiij. Falso prophetae vaticinantur in nomine meo; non misi eos, & non præcepi eis: visionem mendacem & diuinationem fraudulentam & seductionem cordis sui prophetant vobis. Hac persuasione fretus Ioannes a Leyden, sanguinarius ille hæreticus, inuasit Monasteriensis Ecclesiæ iura, & se a Deo missum affirmabat. Fatemur Dei vocationem non posse ab homine repudiari: verum hæc semper est legitima, aut signorum attestatione ita roborata, vt indubitata fidem faciat. Moses cum præter ordinem vocaretur, vocationis suæ fidem fecit coram filijs Israel & Pharaone. Exodi iij. viij. viij. &c. Aaronis sacerdotium primo cœlesti igne comprobatum est. Leuitici nono. Deinde Choren, Dathan &

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

& Abiron, tellus absorbuit testificata sacerdotium eius. Numeri xvi. Idem testatur & virga proferens amygdala. Numeri xvij. Hinc Christus: Si non facio signa, quæ nemo fecit ante me, nolite mihi credere. Et rursus: A me ipso non veni, sed misit me pater. Quamobrem recte dicit Innocentius, & habetur in c. Cum ex iniuncto, de hære. Cum doctorum ordo sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquã indifferenter prædicationis officium vsurpare. Nam secundum Apostolum: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Et veritas ipsa præcepit apostolis: Rogate dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Quod si forte quis argute respondeat, quia tales inuisibiliter mittuntur a deo, etsi non visibiliter mittantur ab homine, cum inuisibilis missio multo sit dignior, quàm visibilis, & diuina longe sit melior, quàm humana: potest rationabiliter responderi, quod cum interior illa missio sit occulta, nõ sufficit cuiquã nuda tantum asserere, quod ipse sit missus a deo, quum hoc quilibet hereticus asseueret, sed oportet quod adstruat illam inuisibilem missionem per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium speciale. Id ipsum videtur & Apostolus Ioannes intendisse, 1. Iohã. 4 quando dixit: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.

Auferet ab Ecclesia hierarchicum ordinem, & facit omnes Episcopos æquales. Primatum vero non ex iure diuino, sed consensu hominum introductum asserit. Allegat Cyprianum more suo, hoc est, in fideliter. Cyprianus enim cum dixisset: Hoc erant utique & ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis: statim subiungit, quod omittit Bucerus: Sed exordium ab vnitatem proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Quid hoc facit pro Bucero? Idem ad Cornelium Papam sic ait: Petrus, super quem a domino ædificata fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquitur. Vbi clarum reddit Petro testimonium, quod fuerit Ecclesia super ipsum Petrum ædificata. Idem lib. primæ epistolæ. Navigare audent ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, vnde vnitatem sacerdotalem exorta est, & a schismaticis & pharisæis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum. Adeo non facit sanctus hic martyr pro Bucero. Allegat & Hieronymum, & hunc quoque more suo. Is enim in loco eo, quem citat Bucerus, qui habetur xciij. distinctione, Cano. Legimus: postquam ostendisset diaconos sacerdotibus inferiores, ac deinde presbyteros æquales, sed ordine, Episcopis, atque adeo Episcopos etiam inter se æquales, hoc interserit, quod Bucerus omittit: Quod autem postea vnus electus est, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi

Error Buceri de primatu & ordine hierarchico.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

sti rumperet. Nam Alexandria a Marco Euāgelista vsq; ad Esdram & Dionysium Episcopos, presbyteri semper vnum ex se eligebant, & in excelsiori gradu collocabant, quem Episcopum nominabant: quomodo exercitus sibi Imperatorem facit. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non facit? Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est. Hæc ille. Quod si omnes sunt, vt Bucerus vult, Episcopi æquales, cur ipsum Reuerend. Dominum nostrum, modo Archiepiscopū, modo Metropolitanum appellat? Videtur tamen Hieronymus in ea esse opinione, q̄ primatus consensu hominum ad conferuandam vnionem introductus sit, non tamen sine diuina ordinatione. Verum multo maior sanctorum patrum numerus asserit, ex Christi institutione, adeoq; ex iure diuino primatum introductum, quorum sententia ex Euangelij verbis nata est, vbi ter Petrus a domino audire meruit, pasce oues meas. At Bucerus concedit Romano pontifici superintendentiam in Ecclesiis Occidentalibus, cum in Concilio Niceno in Asia præfederint legati Syluestri Romani pontificis, & in Chalcedonensi pontificis Leonis legati, & tã Africani q̄ Asiani, quod tam multæ Synodi palam testantur, Ecclesiæ Romanæ primatum semper agnouerint.

In epist.
ad Episco-
pos Dard-
daniz.

Ad hæc, non concedit Bucerus Romano pontifici iudicium de Episcopis, sed ad Synodos remittit, cui illud Gelasij veridicū dictum opponimus: Sed nec illa præterimus (inquit) q̄ Apostolicæ Sedi frequenter datum est more maiorum, ut etiam sine vlla Synodo præcedente, & soluendi, quos Synodus inique damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit potestatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memorię nihilo minus Ioannem Constantinopolitanum Synodus etiam catholicorum præsidum certe damnauerat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia nō consensit, absoluit. Itemq; sanctum Flavianum pontificem, Græcorum congregatione damnatum, pari tenore, quia sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit, potius quã, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis præfulem, quem sua autoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo submouit sola.

Multis folijs contendit sacerdotibus admittendum coniugium, etiam monachis & monachabus, licet voto obstrictis, contra expressos canones, & multorum Conciliorum decreta, maioremq; exigit in ea re libertatem, q̄ vnquam fuerit in Ecclesia permessa. Etsi enim in Ecclesia olim his, qui ad ministerium & Clerum adsciscerentur, permissum

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BVGERI

missum sit in ea vocatione permanere, nec maritus a coniuge, quam, priusquã assumeretur, duxerat, sit ob ministerium quasi diuortio separatus, tamen qui cœlibes assumebãtur, sunt iussi cœlibes permanere, alias a ministerio repellebantur.

Huius dat primã rationem talem, quia exigitur a Clericis Christiana & irreprehensibilis vita, sit plane necessariũ, vt coniugium eis cõcedat. Sed hic sophisticatur, quasi extra coniugiũ nemo possit Christiane viuere. Imo vero, conuersa ratiocinatione, quia exigitur a Clericis vita irreprehensibilis, expedit manere innuptos & cœlibes, quod Apostolo Paulo teste melioris consequentiã formam habet. Nã qui sine vxore est (inquit) sollicitus est, quæ sunt domini, quomodo placeat Deo. Et rursus: Hoc ad vtilitatẽ vestram dico, suadens ad id, quod honestum est, & facultatem præbeat sine impedimento dominũ obsecrandi. Atq; hæc est propria Clericorum vocatio, vacare orationi, & sollicite procurare negocia Dei & Ecclesię. Quod autem Bucerus experientiam obiicit: Videmus enim (inquit) & palpamus, parum confirmat suam rationem. Si enim liceat ab abusu malorũ hominum argumentari, iam & coniugium videbitur simili de causa e medio tollendum, multi enim adulterantur. An sunt igitur propter quorũdam adulteria omnibus connubia interdicienda?

1. Cor. 7

Verum quemadmodum qui coniugiũ ineunt intentione & proposito castitatem coniugalem intemeratã conseruandi, bona spe præsumunt Deum optimum maximum, cuius beneficio & gratia propositum illud conceperunt & sanxerunt, ad futurum deinceps auxilio, & facturum sibi donum illud perpetuum: ita qui propositum bonum de vouenda castitate per gratiam Dei sentiunt in se & experiuntur, & iam constituerunt secum hoc vitæ genus eligere, ac voto perpetuum facere, debent vtq; hoc donum Dei, postquam vouerũt, in se agnoscere, & bona spe præsumere de ipsius auxilio, quod qui cœpit opus bonum in ipsis, perficiet & faciet illis perpetuum. Ad Philippen. primo. Sic August. in Psal. lxxv. Nõ sitis pigri ad vouendũ, non enim viribus vestris implebitis: deficientis, si de vobis præsumitis. Si autem de illo, cui vouetis, vouete securi, reddetis. Ita Apostolus, omnia possum (inquit) in eo, qui me confortat. Ad Philippenses quarto. Huc accedit, q̃ multorum necessitas nobis præcepto Dei imponitur, quæ tamen nõ sunt in potestate & viribus nostris sita, sed Dei gratuita dona. Fidem exigit a nobis, cum sit suum donum, sic spem, sic charitatem, sic patientiam. Proinde nihil prohibet continentiam esse Dei donum, & tamen nobis necessitatem, sed voluntariam imponi posse per nos ipsos.

Fiducia eorũ, qui uotis sunt adstricti.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

Carnalis
Bucerier
tor.

Permittit unicuique de dono continentiae secundum sensum carnis, concupiscentiaeque commotiones dijudicare. s. Qui voluptatis est appetens, negabit se donum accepisse. Qui fastidit, is solus fatebitur se donum habere. Addit, graviter offendi Deum, si non permittatur unicuique hac in re secundum proprium iudicium agere.

Vri illud, quod est apud Apostolum, sic inflammat, quasi nullum aliud sit remedium voto obstrictis, quam sensui acquiescere & tentationi non resistere.

Bucerus
uult, ut
brutescat
homines.

Affirmat patres, si modo adessent, adacturos omnes, qui tali sensu mouentur, ad coniugium subeundum. Quid restat amplius, nisi ut brutos faciat homines? Permittit enim iudicium, non rationi, sed sensui. At qui experimentum, quod iubet Bucerus de dono facere, via est, per quam gratia Dei & donum eius proculcetur & abijciatur. Nemo enim, nisi plane insensibilis & saxeus, non tangitur aliquando tentatione, & tamen qui semel ex fide erga Deum, & ex corde recto & bono vouit Deo continentiam, negare non potest, se aliquando donum illud, licet postmodum tentetur, accepisse. Et quid faciet, qui in coniugio est? Quod erit remedium, quando non uxori suae, sed alteri adhinnit & vritur? Quid inibit absente uxore aut aegrotante, ne vreatur? Hic, ut arbitramur, dicturus est Bucerus, resistendum diabolo & carni. Recte. Hoc & hic quoque faciendum nos dicimus. Resistere enim oportet, non cedere, quod ubique monet scriptura: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Item orandus est Dominus: Et ne nos inducas in tentationem. Item: Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis & concupiscentis. Ad Gala. quinto. Fugienda est occasio, perdomanda est caro, si oculus dexter scandalizat, eruendus est. Matthaei quinto. Proinde quod flammam accusans de impossibilitate queritur, vanum est, ne durius aliquid dicamus. Proferat qui post continentiae votum semel in spiritu sancto, & bona & recta erga Deum fide susceptum, carnem suam macerauerit & assidua castigatione crucifixerit, qui per ieiunia, orationes ac pietatis exercitia, quod omnibus Christianis incumbit, veterem hominem mortificauerit, & non potuerit continere. Quamdiu vero perdite & secundum omnia carnis desideria luxui seruitur, frustra queritur aliquis de dono non accepto. Per haec enim oportet doni facere experimentum, non per carnis sensum.

Bucer. de
seipso dis
sentit.

Hic licet etiam vel in medijs tenebris palpare, quam dissimilis sit sibi Bucerus. Alibi exigit mortificationem carnis, & rectam sensus carnis inimicus est Deo. At hic iubet acquiescere sensui, cui permittit impe

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

imperium supra rationem & potestatem, vota diuino & humano iure indissolubilia diffringere.

Quale est autem & quod prauum commentum, facere ex cœlibatu laqueum, quo præfocantur homines & perduntur. Idque Paulo Apostolo nos ad cœlibatum inuitanti assuere, quum Apostolus illic tropo utatur, & laqueum ponat pro præcepto, quo indicitur necessitas, qua retinentur homines tanquam alligati laqueo & vincti, ut iam non sint liberi & suo relictis arbitrio, idemque prorsus significet, quod ante dixerat: De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a domino, ut sim fidelis.

Præceptum continentiae definit esse prorsus humanum, quum tamen complectatur eas res, quæ non solum secundum Deum sunt, & hominem ad seruitutem Dei reddunt expeditum, verum etiam ad quod Christus ipse & Apostolus nos inuitant. An & ipsum Euangelium humanum est? At continentia est de numero Euangelicorum consiliorum. Ad hæc, nemini nisi volenti imponitur hodie illa necessitas, quum nemo nisi volens promittat continentiam, aut sacerdotium adeat. Vnde magis videntur sacerdotes seipsum obligare, quam ut obligentur ab alio quouis. Atque ideo testante vel sua ipsorum conscientia, tanto amplius tenentur iuri diuino.

Negat vota continentiae obligare quemquam, nisi quatenus promouent negocium fidei in Christum. Quali votum religiosorum, quod ex fide in Deum concipitur & firmatur, remoretur fidei ardorem, & extinguat Dei dona in homine. Similiter innuit, quod vouere castitatem sit repugnare Dei voluntati & mandato: quod tamen nusquam probat, aut probare poterit. Sed ista, ut dicat, cogit eum necessitas, & honoris sui languida defensio, non recta conscientia, quum sit apostata & sanctae religionis desertor, ut ipse fateri cogitur.

In summa, Christus adhortatur ad sectandam continentiam, Bucerus dehortatur. Vtri auscultandum? Verbum Dei est: Vouisti, nemoreris reddere. Verbum Buceri est: Qui cogunt seruare vota, peccant in Deum. Vtri fidendum? Paulus ait: Bonum est homini sic esse propter instantem necessitatem. Contra Bucerus: Malum est, ait, homini sic esse propter instantem necessitatem. Rursus Apostolus testatur, quod qui in coniugio sunt, carnis habebunt tribulationem. Item, qui cum vxore est (ait) sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & testatur se homines inuitare ad cœlibatum, qui sit honestus, qui præbeat facultatem dominum sine impedimento obsecran-

Colatio
doctrinae
Buc. cum
Euange
lio.
Mat. 19
Ecc. 5.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

di. pri. ad Corinth. vij. Bucerus contra dicit: Non omne coniugium esse impedimento. Quin etiam pro confesso & indubitato habet, quod per coelibatum impediuntur homines magis, q̄ promoueantur ad obedientiam Dei & Ecclesiæ ministerium. Nec pudet ipsum dicere, spiritum sanctum testari, quod imponentes voto vel præcepto castitatis necessitatem, auocent a bono meliori ad periculosum illud vri, in quod hominem detrudant. Affirmat quoque ducentes vxores liberari cura & sollicitudine: vel reclamante tota natura, quæ de prolibus, domesticis negocijs & re vxoria nō potest nō esse sollicita. Tã pulchre cōuenit Bucero cū Paulo & Christo, cuius se ministrum prædicat, tam purum, tamq̄ syncerum est apud Bucerum verbum Dei, & tam consentanea naturæ tradit.

Bu. de pa-
tribus iu-
dicium.

Bucerus
falsarius.

Olim in Ecclesia permittebatur assumpto sacerdoti seruire vnicam suam coniugem, qua defuncta iubebatur secundum Apostoli verbum manere viduus: at Bucerus putat hoc parum esse, nisi concedatur & sacerdotibus, & monachis, & monachabus, primo, secundo, tertio deniq; & quarto ac quinto nubere, modo non duæ simul vxores, sed priore mortua, altera post alteram ducatur. Atq; hanc putat esse apostolicam sententiã, & verum sensum Apostoli, quando dicit: Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum. Nam licet pleriq; ex patribus, August. Hiero. Ambro. & alij ita exposuerint, vt putent Episcopum esse nō posse, qui plures q̄ vnam tota vita habuisset vxorem: ipse tamen eos, qui ita exponunt, dicit non esse assecutos veram Apostoli sententiã, quã vni & soli tribuit Chrysofostomo, quem in expositione sacre scripturæ dicit veteres omnes longe præcellere. Hunc allegat tanq̄ suæ sententiæ ad stipulatorem in expositione pri. epist. ad Timoth. cap. iij. & ad Titum cap. primo, eiq; ascribit hanc sententiã, quod Apostolus per illud: Oportet Episcopum vnius esse vxoris virum, velit ab Episcopatu exclusos, qui duas simul haberent vxores, aut qui priore repudiata ac superstite duxisset aliam, atq; ita non possit vnius vxoris maritus appellari. Si vsquã alibi falsus Bucerus, hic certe longe falsissimus est & nequissimus. Quis em̄ crederet Chrysofostomum, quem non sine ingenti eius præconio cum Augustino, Hieronymo & Ambrosio confert, hoc non dicere, quod habet Bucerus: At nihil tam alienum est a Chrysofostomo, q̄ sit sententiã hæc, quã impostor iste & falsarius ei affingit. Nam in tertio capite prioris epistolæ ad Timoth. vbi dicit: Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum, sic ait: Non veluti hoc sancies dicit, quasi non liceat absq; vxore Episcopum fieri, sed ei rei modum constituens. Iudæis quippe licitum erat, etiam secundo matrimonio iungi, & duas itidem habere vxores. Ita Chrysofostomus duo dicit licuisse Iudæis, nimirum, nubere
re secun-

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

re secundo, & duas itidem habere vxores. Vtrumq; opponit Episcopo, tanquam sit præter modum, aut nubere secundo, aut duas habere vxores. Quis est igitur apud Chrysoftomum modus, quem dicit Apostolum ab Episcopo exigere, nisi quod sufficiat Episcopo semel tantum duxisse? Neque enim permittit Episcopo, quod Iudæis permissum fuerat. Nec aliter exponit Chrysoftomus illud ad Titum primo: Si quis sine crimine est vnus vxoris vir, vbi interpret Chrysoftomi reddidit sententiam his verbis: Obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant, ostendens illam rem culpa carere, imo ita esse preciosam, vt cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatus solium subuehi. Castigat hoc ipso etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemq; assumi. Nam qui defunctæ vxori benevolentiam nullam seruasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ præceptor esse optimus poterit? Imo quibus criminibus non subiicietur indies? Hæc ille. Nullum potuit tam apertum, tamq; manifestum contra Buceri sententiam testimonium produci, nullaq; iustior contra damnatam Buceri præsumptionem sententia pronunciari. Quem enim testatur verum Apostoli sensum assecutum, & in expositione sacræ scripturæ reliquos patres longo post se intervallo relinquere, is concedit, in matrimonio cum prima vxore consistentem assumi posse: consistentem vero in matrimonio secundo cum vxore, quam duxit post mortem prioris, ex Apostoli verbis negat posse assumi. Negat quoque posse bonum esse præceptorem Ecclesiæ, qui hoc honoris & benevolentia vxori non habet, vt permaneat viduus, & hunc talem affirmat nullis non indies subiici criminibus. Sententiam & iudicium Chrysoftomi attollit & probat bis digamus Bucerus, atq; adeo quod Chrysoftomus sentit, debet & ipse sentire. Ipse ergo se iudicat, & se propria sententia condemnat, vt & in se quoq; impleatur, quod dicit Apostolus de hæretico: Scito quia subuersus est, & proprio iudicio condemnatus.

Buc. sub-
scribens
Chryso-
stomo,
seipsum
condem-
nat.

Itaq; non habet Bucerus contra Ecclesiam vllū ex patribus suffragium vel patrocinium, & relinquitur nobis Paulus indiuisus, q̄ maiorem continentiam & disciplinam requirit ab Episcopo, q̄ in fratre laico. Hinc de Episcopo dicit: Oportet Episcopum vnus vxoris esse virum, quod nusquam de laicis dicitur, oportet scilicet fratrem vnus vxoris esse virum. Cur hoc vero? An permittit fratri binas simul habere vxores? Nequaquam. Hoc enim Christus vetuit: Erūt (inquit) duo in carne vna. Permittit autem fratri post prioris vxoris mortem ducere secundam, & ideo non dicit, oportet fratrem vnus vxoris esse virum, sed Episcopum, cui id ipsum non permittitur.

Verus sen-
sus Apo-
stoli.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

Tandem eo venit impudentiæ, vt etiam q̄ viduam duxit, ne tanti quidem faciat, quanti colasse culicem. Atat facessat impurus, ita scurræ loquunt̄. Quod a tēpore nascentis Ecclesiæ vidua sit sacerdotibus per omnes patres interdicta, dicit hœdus iste ideo factū, q̄ viduæ sint plerunq̄ intractabiles & imperiosæ: virgines autē flexibiliores. Quasi vero patres hoc potissimū spectauerint, & non potius sacramentum. Aug. de bono coniugali ita habet: Ecclesiæ dispensatorem non licere ordinari, nisi vnus vxoris virum, acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandū esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato, quoniam in baptismo omnia peccata dimittuntur. Et post pauca: Sicut plures vxores antiquorum patrum significauerunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias vni viro subditas: ita noster antistes vnus vxoris vir significat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro subditam Christo.

Cæremonias appellat fermentum purioris doctrinæ, quum fidem promoueant ac sint doctrinæ & fidei propria exercitia. Fingit cæremonias omnes alio destinari, q̄ debeant, & in diuersos abusus præter institutionem conuerti. Dicit nusquā carere superstitione, hypocrisis, contemptu Dei. Sic de imaginū cultu, quod superstitione imagines veneremur. De exorcismis dicit, quod aquæ, salis, candelis, palmis, & id genus rebus tribuatur virtus, potestatem dæmonum & casus aduersos depellendi, sanitatemq̄ corporis & animæ conferendi. Atq̄ in hunc modum confundit omnes cæremonias sine discrimine cum abusibus. Et debacchatur etiā in eas, quarū vsus est legitimus, quem tamen in præsens longum esset explicare. Tantum vt appareat, quid sentiat de cæremonijs Ecclesiasticis, & q̄ mendaciter & inique multa nobis affingat, hæc recensuimus. Nunquam enim efficiet, vt vera dixerit, & sanctissimas illas, purissimasq̄ Ecclesiæ cæremonias iure bono tam foede conspurcauerit.

Signanter dicit, omnes eas cæremonias, quas abrogarunt Protestantes, aut esse abusus, aut ex numero illarum rerum, quarum obseruantia sit libera, & potestati nostræ permessa. At Protestantes abrogarunt celebrationem missarum, bonam sacramentorū partem, festa, ieiunia, eantum Ecclesiasticum per sanctos patres ordinatissime introductū, gradus & ordines Clericorum, ministeria Ecclesiastica, cælibatū, obedientiam, & omnem prope Ecclesiasticum cultum ac disciplinam: mutarunt tēpla altaribus, imaginibus, vasis & ornamentis. Ergone erunt hæc cæremoniæ omnes impij abusus, ac permissæ potestati Buterij? Quod si sit (auertat deus omen) iam quantulum erit reliquarum cæremo

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BVCERI.

remoniarum, quas aper iste singularis & ferus nō intendat deuastare, & sit nobis permissurus?

Non solum autem hos, quos ex multis annotauimus, errores docet, spargit & tuetur, quin etiam nondum cōciliatos aut vtrinque receptos, imo quos nō recipit, neque vnquā recipiet Ecclesia Dei, numerat inter Ratisponæ conciliatos articulos, tanquā receperint eos Catholici, quum sint ex numero Protestantium articuloꝝ. Scilicet hoc nomine commendatos articulos suos venditat, vt sine cōtradictione & hæsitatione suscipiantur, quæ ingens est perfidia. Quosdam etiam cōciliatos transponit in aliam formam verborum, magis consonam Protestantium, quā Catholicorum sententiæ. Hæc licet vel ad oculum demonstrare, si conferatur falsarius iste cum actis Ratisponæ.

Inspergit pleracque, quæ etsi contentiosa disputatione forsan sustineri queant, attamen præstaret non mouere, aut sobrie docere de eis, vt ne piæ aures offenderentur, aut nō intelligentibus altitudinem Christianorum dogmatum daretur occasio aliud, quā res est, aut regula fidei nostræ continet, cogitandi, qualia sunt: Deus nouit & uult, priusquam oremus, auxiliari, ubi debet. Item, nihil opus habet oratione nostra, nec sinit se flecti oratione, vt faciat, quæ nō disposuit ab æterno facere, & similia. Palam est, hic Bucerum sub prædestinationis inuolucro fidem & spem orantium frangere, & tam fato, quā securitati simplices quosque committere, quo nihil poterit perniciosius aduersus pietatem excogitari. Et cum hoc agat Bucerus, nihilo minus pietatis studium præterdit. Præstiterat magis ita docuisse, quomodo vbique clamat scriptura: Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Lucæ vndecimo. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Matthæi vigesimo sexto. Et quod habetur Ionæ tertio: Conuertantur a via sua mala, & clament ad Deum in fortitudine: Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur a furore iræ suæ, & non peribimus? Ita Petrus adhortatur Simonem: Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

Buce. auo
cat spem
orantiū.

Nonnunquam mentitur nos docere, quod remotissimum est ab Ecclesiastico dogmate, vt vbi de sanctorum inuocatione agit, dicit causas, quare sanctos putemus inuocandos, esse tres: Vnam, quia sumus Deum, vt cui nunquam decreuerimus obedire. Alteram, quia Deo patri & CHRISTO nō tribuimus omnem & summam potestatem, sed hanc ethnicorum more partimur inter sanctos, neque credi

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

mus ipsum nobis esse vltronee misericordem. Tertiam, quod nō veram salutem quærimus, sed temporalem felicitatem. Grauis est ista calumnia, qua nos traducit, & nihil plane candoris restare in homine manifestat. Quis enim vnquam fidelium his rationibus permotus confugit ad sanctos? Quando vnquam Ecclesia isthæc docuit: Et tamen calumniator nobis affingit hanc doctrinam contra suam ipsius conscientiam: cum ipsum non possit fugere, nos ipsidem de causis interpellare sanctos apud Christum agentes, quibus viuos degentes nobiscum in terris. Verum sanctos hoc amplius, quod credimus eos puriori erga nos amore flagrare, & de sua salute securos esse, cum viui adhuc sint pro seipsis solliciti, & raro ad amoris perfectionem ferantur. Denique quod multa requiruntur ad dignam & sanctam orationem, vt habet Cyprianus, quæ citius in sanctis a corpore absolutis, q̄ in viuis est reperire.

De eodem ingenio affingit nobis, quasi doceamus locandam esse fiduciam in rebus externis: item quod seducamus homines doctrinis & cæremonijs: quodque nihil populo prædicemus aliud, q̄ legendas sanctorum, exempla que, vt vocant, & inconditos illos sermones, qui vulgo circumferuntur.

Ferendum videretur forsan, quod nos sycophantice & calumniose traducit, nisi idem committeret & in sanctos patres, quibus nō raro affingit sententiam ab eorum fide remotissimam, quosq; pro dogmatis sui assertionem infideliter citat & deprauat, ac in sensum detorquet alienum: quod nunc ostendimus in allegatiōe Chrysoctomi, Cypriani, Hierony. August. quem & detruncat, vbi de interpellatiōe & veneratione sanctorum agit. Cum enim August. in lib. de ciuita. Dei contra Faustum Manichæum vindicet & asserat Ecclesiam ab idololatria, quam ob venerationem martyrum Manichæi Catholicis obieiebant, dicit quod sanctis martyribus, neq; templa, neq; altaria erigimus, neque ipsidem sacrificamus, sed soli Deo martyrum & sacrificamus, & templa erigimus. Hucusq; citat Augustinum Bucerus. Omittit autē quod sequitur, quod hæc facimus ad memorias martyrum: quemadmodum & Cyprianus libro tertio epistola sexta, dicit celebrari a nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes martyrum. Causas istius venerationis reddit Augustinus ille iam dictus libro xx. contra Faustum cap. xxi: Quod populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate cōcelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atq; orationibus adiuuatur: cum impostor iste, & merita, & intercessiones sanctorum conuicatur per hunc Augustini locum obscurare.

Buce. de
prauator
& falsari
us sancto
rum.

Eiusdem

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

Eiusdem artificij est, quod ubi scriptores Ecclesiastici, siue Græci, siue Latini ab ipso dissentiunt, torquet eorum verba in suam sententiam, vt iam non sit liberum sanctis hoc, quod ipsi senserunt, dicere, sed cogantur, quod Bucerus comminiscitur, sonare. Ita torquet vocabula sacrificij & oblationis. Idem committit in vocabulo satisfactio- nis. An credit patres linguæ Latinæ imperitos, & defuisse illis verba propria, aut quid dixerint, non intellexisse?

Nec pudet hominem tam frequenter in rebus compertissimis men- Buce, fre-
quenter
mentitur
turi, & quum turgeat liber mendacijs, pauca subnectunt. Ait vsum communicandi sub vtraque specie semper obseruatum fuisse in Ec-
clesia vsq; ad paucos abhinc annos.

Mentitur quoq; se nullis alijs obstrictum votis, q̄ vnico illo, quod emisit in ordine Predicatorū, nisi forsan excidit ei, quod inter manus Episcopi, cum susciperet sacros ordines, vouerit obedientiam, & se-
cundum canones deinceps vitam instituerē.

Et istud quoque falsum est, quod ait Metropolitanorum auto-
ritatem per summos Pontifices ita imminutam, vt prope nulla sit
hodie.

Mentitur contra agnitam sibi veritatem, quum dicit Concilia ge-
neralia nunquam inchoasse aut introduxisse reformationes, sed tan-
tum inchoatas & ante Concilium ipsum institutas confirmasse. Sed
non obscurum est, ideo ipsum isthæc comminisci, quod modo ve-
hementer metuit, ne sua ipsa, quam molitur, perturbatio ad Concilia
um generale (quod iam Tridenti inchoatum est) rejiciatur, atque ita
spe sua ipse frustretur.

Et hoc quoque impudens est mendacium, quod affirmat se ni-
hil aliud prædicare Bonnæ, q̄ articulos Ratisponæ conciliatos, & ea,
quæ faciant ac conducant ad componendum articulos nondum
conciliatos.

Toto fere libro mirifice extollit puritatem sui dogmatis, quod q̄
pulum sit, ex his, quæ supra annotauimus, luce clarius conspici po-
test. Atque interim assumit sibi personam catholici & euangelici præ-
dicantis, cōparans se Christo, apostolis & prophetis. Fingit se pati per-
secutionem propter Euangelium Christi, quum nihil minus, q̄ Chri-
sti Euangelium prædicet, nihilq; minus, q̄ meretur, patiatur, & hæc
nus cōtra Dei mandatum hæcudus iste in lacte matris suæ sit coctus, &
plus

Transfi-
guratio
Buceri.
Exod., 23.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.
plusq̄ molliter habitus. Et plane sit de numero illorum, de quibus dicit Apostolus pri. ad Corinth. xi. Eiusmodi pseudapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur, velut ministri iustitiæ.

Buce. auctoritatem sibi vendicat in Ecclesiam. Noua Buceri præcepta.

Arrogat sibi imperium & auctoritatem in Ecclesiam, eaq̄ a nobis exigit, quæ nulla scriptura mandat. Interdum etiam ex hyperbolicis patrū admonitiōibus ipse, qui vota, canones, leges rupit, nobis leges præscribit. Exigit itaq̄, vt parentes ipsi suos paruulos offerant ad baptismum. Iubet parentes orare, ne suam iniquitatem Deus paruulis imputet. Quod q̄ parum conueniat cum sacra scriptura, claret ex Ezechie xviij. Filius non portabit iniquitatem patris. Ac tandem subiungit, quod si quis vel particulam istarum actionū, quas ipse in administratione baptismi exigit, negligat, hunc reum fieri corporis & sanguinis domini. Cæterum exorcismos, chrisma, insufflatiōes, signū crucis, & veteres Ecclesiæ cæremonias, licet primitiuæ Ecclesiæ tempore apud baptismum obseruatas, eliminat. Scilicet vnus Buceri auctoritas potior erit totius Ecclesiæ tot seculis firmata auctoritate.

Edictum Buceri de missa.

Huic simile est, quod iubet missam celebrare lingua ab omnibus intellecta, contra tot seculis comprobata Ecclesiæ consuetudinem. Vult, vt sacra illa missæ mysteria præsentibus omnibus clare exponantur, quum sint magis adoranda, q̄ curiose scrutanda. Neq̄ enim omnibus datum est mysteria illa capere & intelligere, sed paucis admodum. Nec verisimile est, in Ecclesia vnquam omnibus intellecta fuisse, id quod asserit Bucerus, & nunquam probabit.

Et istud quoq̄ imperiose satis exigit, vt in omni missa, quotquot præsentibus adfunt, communicent. Addit, qui non communicant, reos esse iudicij, & tales excludit deinceps & a communionem sacramentorū, & ab orationis communionem, cum requirat res ista magnam probationem & testimonium irrefragabile. Allegat solum Chrysostrum, & Cano. Calixti de consec. distin. ij. Peracta. Ad canonem dici potest, qd ad ministros, non ad omnes pertineat: aut certe Chrysostrum & Calixtus ad id, quod sanctum & honestum esset, voluerunt Christi plebem his minis adigere, omnesq̄ inuitare: quū tamen neq̄ lex illa, neq̄ cōsuetudo, vt in singulis sacrificijs omnes præsentibus communicarent, fuerit vnquam in Ecclesia recepta, quod vel ex ipsomet Chrysostramo homil. lxi. ad populum sit manifestum. Si hoc ipsum urget Bucerus eo pietatis studio, eaq̄ sancta intentione, qua sancti illi viri, libenter ferimus, vt vrgeat. Cæterum verisimilior metus est, Ecclesiæ

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BV CER I.

clesiæ & sacramentorum hostem hoc voluere, vt his terroribus plebem a frequenti missarum audiētia abarceat. Mirum vero, quod tanti faciat vnicum hunc Calixti canonem, vt multis alijs, qui liberam faciunt communionem sacramentorum, prætulerit: de quo videantur eadem dist. Cano. Quotidie: & hic est Augustini. Item Cano. Hi, q intrant, & est excerptus ex Cōcilio Toletano. Et Cano. Fabiani. Et si non frequentius. Et alijs plures ibidem canones. Et tamen non pudet ipsum mentiri & dicere, neminem sanctorum aliud vnquam docuisse: nullum quoq; Cōcilium vnquam aliud statuisse, q̄ vt cōmunicent omnes præsentēs. Cæterum præsentem & assistentem plebem egregius doct̄or ad communionem cogit, non autem ministrum seu sacerdotem, cui permittit tradere alijs, & non sumere, contra Cano. de consecratione distinctione secunda. Relatum.

Communio libera plerūq;

Sed quale est, quod se nunc tandem offert Clero ad examen & sui probationem? Oportuit hoc ipsum antea factum. Offert autem se, quasi cui nihil fuerit adhuc obiectum, quod ipsum a functiōe Ecclesiasticorum munerum repellat, cum tamen nō pauca capita factæ sibi obiectiōis enumeret in libello isto, quæ nec diluit, nec diluere vnq̄ poterit. Vbi primo loco proponit obiectiōem de eo, quod sine consensu Cleri, & nōdum examinatus ac probatus, nō debuit admitti. Sunt canones in scriptura fundati, quibus hoc efficitur, neque ita fieri debere Bucerus negat. Negat autem in Clero & populo Colonien̄ esse vllos ad sui examinationem satis idoneos, a quibus consilium accipi possit, & qui iudicium habent de rebus ad Ecclesiam pertinētibus. Et amplius adhuc erumpit, & negat omnino legitimum vllum ordinem esse in Colonia, sed omnia sine ordine, tam in Clero, q̄ in plebe confusa. Verum hæc res est phanatici hominis calumnia, quam res ipsa redarguit sycphantiæ. Ad hæc dicit multis seculis examinationem & probationem iuxta canones fuisse neglectam, & nunc exoleuisse: sola vero exhiberi spectacula, quum proclamatur, sunt digni, sunt iusti. Hic nobis fatendum est, canonum seueritatem iam diu non vsq; ad eo, & quemadmodum oportuit, obseruatam. Sed cui hoc imputandum? Certe Clerus extra noxam est, quum istud ad Cleri prælatos pertineat. Attamen nō ex omni parte iacuit disciplina neglecta. Hucusque enim fieri solent examinationes priuatim, & ne hæc quidem exiguntur ad extremam canonum seueritatem, sed secūdam personarū qualitatem, & temporis rationem. Difficile est enim perfectionis summam in omnibus reperire. Nihilominus tamen semper repulsi fuerunt apostatæ, votifragi, sacrilegi, virginum Deo consecratarum mariti, digami, schismatici, de doctrina suspecti, religionis & templorum eueriores, sacramentorum proculcatores, hæretici, aut

Nemo Buce. idoneus videtur, a quo examinetur

Qui semper ab ordinatione

pro-

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

repellan
tur, & qui
non.

profitentes sectas damnatas. Nemo absq; vitio est, quamdiu vivitur: donec enim sunt homines, erunt & vitia, sed hic minoribus, ille maioribus implicatur. Quod corrigi potest & emendari, quodq; populo Dei non cedit in perniciem, potest forsan tolerari, modo non sit Ecclesiae Christi scandalo. Quod vero non est emendabile, & quod cedit in perniciem, nullo modo tolerari potest, aut debet. Quod allegat ex Marco, dominus noluit, vt prohiberetur, q in nomine Christi eijciebat daemonia, dicens: Qui non est contra vos, pro vobis est: ita producit, quasi ipse daemonia eijciat, & quasi non sit aduersarius, ac proinde negat se prohiberi posse. Verum quum se toto libello aduersarium declarat & lupum, certe prohibendus est. Nec est, quod obtrudat nobis vocationem Reuerend. Domini, cū eius vocatio fuerit canonibus contraria, atq; adeo non legitima. Hic vero quum nullum pateat effugium, obtrudit se nobis ad instar Pauli a Deo vocatum, & huius suae vocatiōis dicit se fidem facere per praedicationis fructum. Bene, quod remittit ad fructus. Est enim hoc Euangelicum, nam scriptum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Haecenus ad linguae suae testimonium nos remittit: dent modo testimonium & opera, que plane ostendunt ipsum esse ex numero illorum, de quibus dicit Apostolus: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Qui sunt em fructus Buceranae praedicationis, nisi haereses, schismata, animarum perditio, seditiones, templorum eversio, cultus diuini neglectus & contemptus, caeremoniarum abrogatio, pietatis extinctio, omnisq; disciplinae Ecclesiasticae eversio: Si non sequuntur hi fructus Buceranam praedicationem, non intelligitur spiritu peruerso agitari.

Buce. vo
catio nul
la.

Fructus
Buceranae
praedica
onis.

Buceri of
ficiū in
Reueren
dīm ma
le locatū.

Deinde ad obiectionem de iuramento multis folijs contendit Reuerēdiss. Dominum repurgare & eximere periurio. Quis ipsum in hanc necessitatem impulerit, nescimus. Nō est nostrum Reuerendissimum Dominū periurij reum facere aut damnare, neq; factum ab vllō nostrum credimus. De periurio iudicabit dominus. Hoc scimus, quod haeretici per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. Roma. vltimo. Ideo alibi monet Apostolus: Fratres, nolite errare, Deus non irridetur.

Profert ex Decretalibus formam Episcopalis iuramenti, cui illud dat, non ignarus, quid secundum formam Conciliorum hodie iurent Episcopi.

Decretū
in Comi
tīs Ratis
ponens.

Similiter laborat efficere, ne videatur Reuerendissimus Dominus noster commisisse contra Imperatoris & principum conuentū Augustę & Ratisponae communi consensu inita & publicata: neq; item contra

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

contra mandatum clementissimi Imperatoris nostri Caroli & Legati apostolici, quorum hoc fuit decretum, vt singuli principes adhibito consilio suorum, statim reformarent sibi subiectos, abusus corrigerent, & præpararent viam, qua facilius concordia in futuro Oecumenico Concilio cõstitui posset. Non est obscurum, quid voluerint Imperator cum Legato, & quod nihil minus cogitauerint, quã concedere transitum in partem diuersam & doctrinam recipere Protestantium. At iste bonus vir pro suo candore fingit res omnes geri ex sententia & mente Cæsaris ac Legati. Quasi vero hoc sit Ecclesiam reformare, hæreticos introducere. Nec satis est perfido illuisse minoribus, ipsum clementissimum piissimumque Imperatorem ludibrio afficit. Addit, quod oportebat prælatos Ecclesiæ huic Cæsareo & Pontificio mandato quã mox parere, & reformationem domi inchoare, quod hucusque facere neglexerint, & ideo non iniuria asserit Reuerendissimum Dominum commotum & inductum ad ipsum vocandum. Quem vero accusat hic Bucerus negligentia: In cuius potestate sita fuit reformatio, quam dicit hucusque neglectam? An non in Reuerendissimi Domini potestate? Is igitur secundum Bucera fuit negligens, & propter suam ipsius negligentiam Bucero iudice nunc Clerum hereticis affligit. Hoc honoris defert Reuerendissimo,

Impostura & iudificatio Bucera

Buce. Reuerendis. nostrum negligentia accusat.

Iam vt videatur ad concordiam spectare, indicat, qua via potissimum concordia iniri possit suo iudicio. Primum, vt regnum Christi integre & acrius, quã ferat secularis affectus, quaeratur. Deinde, vt verbum Dei pure contra peccata & abusus eo vsque in omnium cognitionem adducatur, vt tota inde vita re ipsa, & non ociosa cogitatione mutetur. Postremo, vt nihil fermenti adijciatur ad doctrinam Christi. At si quaerat aliquis de primo, quodnam appellet Christi regnum, deprehenditur eius oppugnator. Perturbat enim Ecclesiam eius, & quicquid ea pulchri habet, vniuersum defœdat, cantum, caeremonias, Clerum, monasticen, virginitem, & omnia, quibus regnum Christi floret. Si quis de altero quaerat, quando speret hoc implendum, certe nunquam in hoc seculo, nisi in paucissimis & electis, quorum numerus per Bucera quotidie decrescit. Si de tertio, quid velit nomine fermenti, dicturus est forsitan, humanas traditiones. An vero putat sapiens iste, homines sine lege & ordine politico viuere posse? Quin vero nos dicimus in eo verissime spem concordia sitam, si cessent hæretici fidem Ecclesiæ oppugnare, & concedant ei, quæ columna & firmamentum est omnis veritatis, doctrinae integritatem. Deinde, vt prælati & Clerus subiectus cum populo amputent tam innumeros abusus, quos sciunt custodibus dormientibus Satanam seminasse, qualis est Simonia, insatiabilis beneficiorum plu-

D ralis

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

ralitas, ministerium titolare, negligentia & desolatio plebis commissa, locatio mercenariorum, quæstus, cæsus absq; spiritu, & huiusmodi. Tertio, vt hæretici ad obedientiam redeant, & se quoq; in his, quæ religionis sunt, Ecclesiasticis conforment. Qui enim Ecclesiam nō audivit, ait dominus, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Matt. 18

Inepta
Buce. argumenta.

Non oēs
errantes
hæretici.

Hæreticorum
flagitia.

Buce. nō
recipit omnia
sacramēta.

Ad obiectionem, quod non sit vnus ex nobis, respondet per malam consequentiam: ergo neque Protestantes sunt ex nobis, seu in Ecclesia. Sed quæ est consequentia: Bucerus non est noster, ergo neque Protestantes? Arbitramur inter Protestantes esse plurimos, quibus Buceri & suorum doctrina atque institutio vehementer displiceat. Quosdam etiam misere seductos, & tanquam simplici errantes animo cum nulla pertinacia aut animi perfidia, quos absit pares facere Bucero. Quando vero antesignanos illos hæreseos doctores contendit Ecclesiæ iungere, ac si nihil vnquam, neque docuerint, neque instituerint ab Ecclesiasticis institutis alienum, quis non indignetur? An credit nos sine sensu prorsus esse, & non aliquando admisisse in animum, quantis modis per hæresarchas istos ab Ecclesia sit digressum? Enumerat aliquot offensiones, sed magnas illas & sæpe damnatas hæreses in doctrina & sacramentis tacet, nec videtur ipsi querela digna, de cæremonijs, de disciplina Ecclesiastica, de exactis ab Ecclesijs veris Episcopis, pastoribus & prælatis. De violenta occupatione & inuasionem iuris alieni, de superbo prælatorum Ecclesiæ contemptu, de templorum violatione, de imaginum demolitione plusq; barbara, de exagitatione persistentium in religione monachorum & virginum Deo consecratarum, de cœnobiorum deuastatione, de votorum & pudoris Deo consecrati prostitutione, de sceleratis sacerdotum & sanctimonialium connubijs, de direptione & occupatione bonorum Ecclesiasticorum, vt interim de Sacramentarijs, de Anabaptistis, de oppressoribus liberi arbitrij, & fati defensoribus, deque multis in Deum isthinc enatis blasphemijs taceamus. Quis enumeret enim vniuersa sectarum istarum flagitia, & fructus designatos? Nec adhuc videntur Bucero tales digni, quos negemus esse fratres. Quod simile flagitium vnquam vel Nouatiani, vel Donatistæ, vel Pelagiani designarunt? Si Bucerus est in Ecclesia, cur non agnoscit Ecclesiæ sacramenta? Neque enim Confirmationem, neque ordinem, neque coniugium, neque item sacram vñtionem dignatur sacramenti nomine, & haud satis compertum habemus, quid de poenitentia sacramento constituat, quam nec ipsam in hoc saltem libello appellat sacramentum.

Sed negat se esse reprehensibilem, aut ab alio vnquam iudice erroris

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

roris conuictum vel damnatum, idque plus decies magna cum iactantia repetit. Non potest autem ignorare Martinum Lutherum a Leone decimo & multarum Vniuersitatum iudicio damnatum. Nec item ignorare potest, quæ perniciosam sectam Oecolampadius introduxerit. At Lutherum præceptorem suum appellat & apostolum CHRISTI: Oecolampadium vero & Capitonem preciosos & charos Dei viros. Horum igitur quæ sint damnata dogmata, non ipsi tantum inuectores, sed & assertores & doctores, in quibus est Bucerus, intelliguntur damnati, prout præclare Damasus Sabellium, inquit, damnauit Synodus, nec fuit necesse, ut sectatores eius postea damnarentur, singulas viritum Synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquæ cunctos, qui prauitatis illius exitere participes, vniuersalis Ecclesia duxit esse refutandos. Et paulo post ita subdit dicens: Quoniam ipse error, qui semel est cum suo autore damnatus, in particeps quolibet prauæ communionis effectum & execrationem sui gestat & pœnam. Non solum autem propter recentes istos hæreticos, verum etiam propter veterum hæreticorum perfidiam, quam sectatur & defendit, & sacrorum canonum transgressionem multis modis est damnatus.

Lutherus, Oecolampadius & Capito, defensor tantur p Bucerū.

Damnata hæresi dantur assertores.

Quod Argentinenses demoliti sunt altaria, imagines, cæremonias, defendit quasi bene actum sit, & ait de hoc extare claram doctrinam & exempla in sacra scriptura, & patribus veteribus. Hic vero debuit scripturas & patres, quibus id ipsum conatur efficere, pro eis adducere. At certum est, quod non habeat claram scripturam: certum est etiam, quod non habeat veteres patres ad stipulatores. Altaria enim habuit etiam Ecclesia primitiua ante tempora Constantini. Iulianus Iuliani apostatæ auunculus, non veritus lotio altaria conspergere, putrescentibus intestinis tanti flagitij pœnas dedit. Imagines habuerunt Christiani a tempore CHRISTI & apostolorum. Refert Eusebius Cæsariensis, in Cæsaria Philippi statuam æneam ad sua vsque tempora permanisse, quam tradebant ad similitudinem vultus IESV formatam. Iconomachorum hæresis sub Zenone Imperatore per Xenaiam seruum Satanæ, ut ait Nicephorus, primum prædicata est, sed paulo post per secundam Synodum generalem, quæ Nicææ conuenerat, est extincta. Vetus quoque Ecclesia cæremonijs & pietate præsentem longe superauit, quod vel solus baptismus poterit nobis abunde testari.

Buce, auctor & defensor sacrilegij.

Sacrilegium vltio diuina sequitur. Imagines à tpe apostolorū.

Cum obijcitur, quod sit sanctæ religionis desertor, atque adeo vouifragus, & non aptus regno Dei, ut qui retro respexit, putat satis

Buce, vouifragus monachus.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

Buce. per
mittit pō
tifici pote
statem ab
soluendi,
non autē
ligandi.

Dispēfati
onibus
nō oportet
nimiū
fidere.

excusatum se, quod vouerit minorennis, & sit idcirco per apostolicum iudicē voto & monachatu absolutus. Iudex apostolicus si qñli gat & iudicat Bucerum, propter nephandas hæreses, illicita coniugia, & canonum transgressiones, reluctatur Bucerus, & negat damnationem valere. Si vero ob causam nihili, & forsitan falsam, Bucerum a voto Deo facto, vinculo illo indissolubili, absoluat, absolutio nem Bucerus confirmat, & prædicat factum recte. Esto autem, quod minorennis vouerit, de hoc enim nobis nihil constat: scimus esse verum, quod diu in ea religione conuersatus sit, & dignitates consecutus. Cui videatur verisimile, quod vir factus iuuenile suum votum non aliquando comprobauerit, & habuerit coram Deo ratum? At Deus iudex ille, qui solus conscientiam nouit, cuius iudicium est secundum veritatem, ad Romanos secundo, requirit quod suum est de manu nostra. Huic videndum an satisfecerit Bucerus. Non ignoramus, quibus consilijs solent iudices, imo non iudices, sed causarum patroni, aliquando ab Apostolica Sede pro iudicibus per fraudem impetrari. Sed meminerit Bucerus eius, qd dicitur ab Apostolo: Deus non irridetur. Et illius: Non es mentitus hominibus, sed Deo. Augustinus in Psalmum septuagesimū quintum: Nemo positus in monasterio frater dicat, recedere de monasterio volo. Neq; em soli, qui sunt in monasterio, peruenturi sunt ad regnum coelorum, & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: Sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retrospexisti. Sic Leo primus, & habetur xx. quæstione tertia: Propositum monachi, proprio arbitrio aut uoluntate susceptum, deserri non potest absque peccato. Quod enim quis uouit Deo, debet & reddere.

Buce. negat se esse hostē Cleri.

Inter obiectiones numerat Bucerus & hanc querelam, quod sit aduersarius Cleri & hostis libertatis ac immunitatis Ecclesiasticæ, atque adeo non admittendus. Verum Bucerus pernegat se esse eiusmodi. Arbitramur Clerum non admodum captare Buceri beneuolentiam, sed hoc solum comprecari, ut redeat ad catholicæ Ecclesiæ gremium, ne pereat. Hoc si nolit, ut cesset a calumnijs, detractionibus, & iniurijs. Potissimum vero parcat misellæ & incautæ plebi, quam seducit.

Tandem querelam de doctrina suspecta & damnata profert. Hoc uero est, hoc est, quod omnium maxime queruntur, quotquot sunt p̄j, & orthodoxæ fidei sectatores, intromitti lupum in ouile domini, ut furetur, ut mactet, ut perdat. Pernegat autem Bucerus se unquam legitime damnatum. Sed antea cōmonstratum est, noua cōdemnatione
tione

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

tione nihil opus esse, vbi semel fuerit doctrina damnata. Non potest
 autem hoc negare, se docere nō pauca, quę multis iam seculis fuerunt
 per Ecclesiam in spiritu sancto damnata. Iudice vero Bucero, Buce-
 rus nunquam damnabitur, neque vnquam fatebitur se errare, quia
 subuersus est: quamquam ex suo ipsius ore non infrequenter con-
 uinci possit, ipse sese damnasse. Postremo, inquit, quod hoc oppu-
 gnant, quod secundum coniugium complexus sum, idque cum vi-
 dua, & audent mihi obijcere canones, eo ipso magnum sibi dedecus
 consciscunt, & manifestant, quo spiritu agitentur. Cui dicimus: Imo
 vero plane manifestamus, nos agitari spiritu illo, quem dedit CHRIS-
 TVS Ecclesię suę, qui est doctor veritatis, & pudicitię amator,
 cuius instinctu sancti apostoli & patres iam inde a prima Ecclesię
 origine vsque nunc in eadem lege constituerunt, docueruntq; oportere
 Episcopum vnus tantum vxoris esse virum: qua constantia nobis
 religionis & pietatis laudem, Bucero ignominiam conciliamus.
 Verum hanc obiectionem non satis explicat, & partes multas breui
 pede transilit. Sunt autem obiectionis istius hæ partes: Prima, Buce-
 rus sacerdos & monachus duxit vxorem contra canones. Altera,
 ipse monachus duxit non quamlibet, sed monacham Deo consecra-
 tam. Vterq; incestum & sacrilegium commiserunt. Innocentius Ca-
 no. xv. & xvi. de velatis & non velatis virginibus, si transgredian-
 tur, dicit habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,
 & sponsio earum domino tenebatur, & sine vindicta solui non po-
 terit. Item Chalcedonensis Concilij Cano. xvi. & habetur xxvij.
 quæstione prima: Si qua virgo. Virginem, quæ se domino consecra-
 uit, similiter & monachum, non licere nuptialia iura contrahere. Item
 in Synodo Gregoriana ita habetur: Si quis monacham, quam Dei an-
 tillam appellant, in coniugem duxerit, anathema sit. Et responderunt
 omnes tertio, Amen. In eam sententiam plurimi sunt apud patres ve-
 teres canones. Iouinianus quoq; Imperator, cum sub Iuliano apostata
 quidam ausi fuissent ducere vxores virgines Deo consecratas, legem
 tulit prætorianam, vt capitali sententia plecterentur, qui sacram vir-
 ginem nuptiali thoro violare auderent. Tertia, quod priore defun-
 cta, & viduus, & monachus, & sacerdos, nupsit secundo. Et id quo-
 que contra canones. Quarta, quod bis viduam, & eandem quoque
 monacham, duxit. Et tam præclaras nuptias castum coniugium &
 thorum appellat immaculatum. Adeo exiit omnem pudorem, & au-
 det incestas & illegittimas suas nuptias, honestorum ciuium hone-
 stissimis nuptijs comparare: Paulus & canones nō permittunt pres-
 bytero, licet virgo, quæ sui potestatem habet, ducenda sit, nubere se-
 cundo. Tantum abest, vt permittant viduam ducere aut sanctimo-
 nialem. De hoc vide distinctione xxxiij. & xxxiiij. multos canones,

Digamia
Buceri.

Explicatio
Buce-
ranorum
coniugio-
rum.

Ducen-
tes sancti
monialē
capite pie
tebant.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.
multos etiam apud Innocentium & Gelasium, & alios sanctos pon-
tifices.

Cum tot, tantisque criminibus sit obductus, & ob hæresum prop-
pugnationem pertinacem ab Ecclesia Dei alienus, sentiens omnem si-
bi deesse facultatem ab obiectis se purgandi (nec enim patitur mali
istius natura, quavis licet obfussetur eloquentia, apparere alia, quæ sit)
ad conuitia & iniurias conuersus, solum recriminatur, & Cleri diffam-
ationem, suam credit esse purgationem. Et primum hac utitur retar-
liatiõe: Apostolus vult Episcopum vnus vxoris esse virum, nõ per-
cussorem, sed modestum: nõ litigiosum, non cupidum: sobrium, pru-
dentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum,
Cõstat autem esse mãdatum Dei, ne quis sit litigiosus, aut percussor,
aut avarus, aut multo vino deditus: hoc vero, nubere secundo, nõ est
mandato Dei contrarium, neque tam illicitum, quæ cetera. Non potest er-
go hoc Paulus tam strenue exigere, quæ exigit illa, quæ sunt mandato Dei
contraria. Atqui hæc ipsa, quæ talia sunt, hoc est, per se mala, atque a
Deo prohibita, Clerus dissimulat: ergo debet & in eo dissimulare,
quod Deus non vetuit. Nisi hoc faciat, dicit satis manifestare, se non
agi spiritu bono.

Est quidem acuta obiectio ista, sed vana. Rursus enim sophisti-
catur, & facit, quod licet vulgo, sacerdoti quoque licere: quum his iu-
re diuino, secundo nubere sit vetitum, at non item laicis. Ad hæc si
spectetur, quid præterea discriminis sit inter ea, quæ Apostolus ab
Episcopo exigit, facile diluitur. Quædam enim sunt emendatu faci-
lia, alia vero difficilia. Quæ faciliter emendantur, quamdiu ea non
emendant Clerici, sunt ab officio haud dubium repellendi, & ut di-
ci solet, suspendendi. Peracta vero emendatione & satisfactione, quæ
causa est, ut amplius repellantur: Vnde in talibus locum habet decre-
tum Carthaginensis Concilij: Clericus donec in vitio est, non pro-
moueatur. Verum quæ difficulter emendantur aut prorsus emen-
dari nequeunt, aliter sunt habenda, qualis est digamia, & copula con-
tra canones.

Alicubi erumpit, vbi videt se ratione destitutum, & imperiole sa-
tis vult, ut Clerus reformetur primum. Hoc cum factum fuerit, cum
sua ipsorum, suorumque omnium vitia ad vnum vsque deterferint, &
sint toti nitidi, tum primum pollicetur aduersarijs suis sufficienti rati-
one satisfacere.

B. vult ut
sibi par-
catur, quæ
que sint
omnes
correcti.

Et si non iniuria taxat alicubi deprauatissimos quorundam mores,
hypo-

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

hypocrisim, superstitionem, Symoniam, fornicationem, adulteria, cere-
 moniarum abusum, & id genus similia, quæ nemo bonus & pius ni-
 si cum gemitu & suspirijs videt & audit; tamen vt sua crimina alienis
 contegat, plerisq; in locis immodicus est & falsus, ac summa cum iniu-
 ria, contemptu & calumnia, non sine vulgi concitatione in Clerum,
 vitia paucorum exprobrat omnibus, omnesq; simul dignos & indi-
 gnos contumelia afficit. Non mirum si in Clero Coloniensi tam am-
 plo & numeroso sint quidam uitiosi, cum in paruo illo Christi disci-
 pulorum numero repertus sit, qui dominum venderet ac traderet.
 Omnibus pijs & bonis dolet esse in Clero vitia. Magis dolet, quod
 qui prohibere possunt, non curant. Maxime vero, q; qui debent pro-
 hibere, nõ solum dissimulant, sed fouent etiam & sustinent. At hic ca-
 lumniator & sycophanta ita in omnes debacchatur & effluet, tan-
 quam omnes ad vnum pariter in eodem luto hæreant, & sint omnes
 ex æquo rei, omnibusq; paucorum vitia comprobentur. Sic facit o-
 mnes Symoniacos & auaros, omnes scortatores, omnes hypocritas,
 omnes supersticiosos, omnes phariseos, omnes sacrilegos, & multo
 iam tempore sacrilegium re & veritate omnibus vsurpatum. Quic-
 quid mali est apud Protestantes, rejicit in Catholicos, a quibus dicit
 acceptum, neminem Catholicorum docuisse de vera communione
 corporis Christi, quod est Ecclesia: imo neminem nosse ait Ecclesiam
 & disciplinam, neminem etiam desiderare. Omnibus exprobrat, q;
 Clerici quidam negocijs secularibus implicantur, quorum negocia
 plus millies dicit cultum Dei impedire, q; vxorem. Alicubi non pu-
 det contestari, innumerabilia esse Cleri vitia, quæ adhuc restent, &
 ipse nondum attigerit. Et cum faciat omnes sine exceptione malos,
 protestatur nihilo minus se nihil arrogare sibi boni amplius, nihil et-
 iam imputare Clero amplius mali, q; res coram Deo habeat, quod q;
 mendaciter, maligne, & peruerse faciat, arbitramur non obscurum
 his, quibus Clerus ille longe ornatissimus & religiosissimus est per-
 spectus & cognitus. At interim illi, quibus non est perspectus, quid
 lecto libello aliud cogitant, q; esse hæc vitia omnibus communia, o-
 mnibusq; adhærere, quæ conspurcator iste calumniose affingit: Sed
 Deo laus & honor, per cuius gratiam Clerus Coloniens. pietate, religi-
 one, exemplo, vitæ honestate, & omnibus, quæ ad Clerum pertinent,
 disciplinis, ita ornatus est & instructus, vt vix vlli aliorum, siue in Ger-
 mania, siue alibi in ijs om̃ibus cedat, etiam Bucero & hæreticis omni-
 bus reclamantibus.

Genius
Buceri
immoderatus.

Impudens
mendacis-
um.

Iam quo omnis eius intentio feratur, & quid hac sua doctrina,
 criminationibus, mendacijs & imposturis moliatur, semel explicat:

Quando

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

Quandoquidem, inquit, non cernuntur in Clero esse ea, quæ nomini huic & officio congruunt, statim concluditur, quod neq; bona Ecclesiarum, aut dignitates ad Clerum debeant pertinere. Atqui hæc est illa Helena. Hic est ille Christus, cui seruit. Hoc est regnum illud, quod cupit sibi, suisq; ampliatur, eaq; est, quam meditatur, reformatio. Inhiat opibus Cleri. Huc inuitat principes proposito S. Gregorij exemplo, quem refert Imperialem exercitum de bonis Ecclesiarum multo tempore realuisse. Comprobat factum Argentinensium, quos dicit Ecclesiarum & monasteriorum bona, quæ occuparunt, eo conuertisse, quo scriptura, canones & leges expendere præcipiunt: nimirum in omni generis infirmos, peregrinos, pauperes, scholas & præceptores, & Clerum verius, q̄ Argentinensium. sacrilegium re ipsa multo iam tempore secundum canones commisisse, ideo videlicet, quod ea, quæ Argentinenses faciunt, ipsi non fecerint. Talibus imposturis homo plenus omni malitia, fraude & dolo, atq; ad seditiones natus, persuadet principibus & magistratibus, vt credant sibi licere, legitimis possessoribus exactis, Ecclesiarum bona inuadere, occupare, pro suo arbitrio erogare & expendere, contra donationes, fundationes, institutionesq; legitimas, & omnes tam diuini, q̄ humani iuris sanctiones. Siquidem Imperatores, reges & principes, qui collegia aut monasteria construxerunt, & de suis opibus locupletarunt, non voluerunt earundem administrationem principibus aut magistratui permittere, siue vt in quemlibet vsum per quoslibet expenderentur: verum vt Canonici & monachi die noctuq; Deū in hymnis & canticis laudantes, & orationibus inuigilantes, cum honesta & necessaria familia decenter & religiose inde viuerent, ornarentq; & honestarent, non confunderent sua egestate Ecclesiam Dei: vt item haberent, vnde tribuere possent necessitatem patienti.

B. iniuste comprobatur factum Argentinensium.

B. ad seditiones natus.

Sacrilegi qui.

Quod si non faciunt, peccant quidem, neq; tamen propterea censendi sunt proprie sacrilegi, nisi putamus & fures & homicidas esse proprie laicos illos, qui non statim distribuunt in pauperes ea, quibus ipsi abundant. Tales enim patres nonnunq; iniustos, fures & homicidas appellant, & illos sacrilegos, verum hyperbolice, cum proprie dicantur fures, qui res non suas dominis earum inuitis auferunt, vel sibi vsurpant. Sacrilegi vero, qui res sacras, aut Ecclesiarum commendatas, præter Ecclesiarum voluntatem auferunt, aut dispensant. Vnde Anacletus, & habetur xvij. q. iij. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam, aut res Ecclesiarum abstulerit, sacrilegium facit. Item Calixtus, & habetur xvi. q. vij. Si quis principum vel aliorum laicorum dispositionem, seu dominationem rerum Ecclesiasticarum sibi vendicauerit, vt sacrilegus iudicetur. In eandem sententiam

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BUCERI.

tentiam Paschalis pronunciat, & habetur eadem quæst. Nullus laico-
rum Ecclesias vel Ecclesiarum bona occupet vel disponat: qui vero se-
cus egerit, iuxta B. Alexandri capitulum ab Ecclesiæ liminibus arcea-
tur. Hinc patres Chalcedoneñ. Concilij voluerunt, vt singulæ Eccle-
siæ suos haberēt œconomos ex Clero, cap. xxvi. quod ita habet: Quo-
niam in quibusdam Ecclesijs, vt rumore comperimus, præter œcono-
mos Episcopi facultates Ecclesiasticas tractant, placuit omnem ecclesi-
am habentem Episcopum, habere œconomum de Clero proprio, qui
dispenset res Ecclesiasticas secundum sententiam Episcopi proprii,
ita vt Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dis-
spergatur Ecclesiasticæ facultates, & sacerdotio maledictionis contu-
melia procuretur. Quod si hoc minime fecerit, diuinis constitutioni-
bus subiacebit. Hoc sonant veteres canones. Hoc patres omnes lo-
quuntur, & obseruari debere cognoscit, & prædicat catholica Eccle-
sia Dei: nõ qd docet Bucerus, aut faciunt Argentineñ. Qui si volunt
dare eleemosynas, habent in scripturis, vnde id facere debeant, Tob.
iii. Ex substantia tua da eleemosynam. Et Salomon in Prouerb. ait:
Honora dominum de tua substantia, & de primitijs frugũ tuarum
da pauperibus. Egregius reformator misericors est in pauperes, do-
cet furari, rapere & sacrilegijs insistere funestis, vt. s. alatur infirmi, pau-
peres & peregrini. Quasi non magis ex istiusmodi rapina delitientur
hæresum magistri, apostata, votifragi, hypocritæ, & incestis cõnubijs
foetidi. Si hæc est pietas, quæ est impietas? Si hoc est reformare, quid
est euertere? Si hoc fas, quid nefas? Quod allegat factum D. Gregorij,
neq; historia vitæ eius complectitur, neq; Platina, aut alius quispiam,
quem nos legimus, scriptor probatus meminit, & haud dubium Bu-
ceranum commentum est.

Eleemos-
synæ un-
de dādæ.

Buc. do-
cet furari.

Vniuersus orbis testatur, quanta mala nobis acciderint, postq̃ per-
ditissimæ istæ sectæ primum pullulascere cœperunt. Nam q̃ tot ru-
sticorum milia cæsa sunt, cui debemus, nisi huic hæresi? Quis incēdia
ista suscitauit? Heluetiorum & Batauorum cruentæ seditiones, vnde
nisi ex hæresibus ortæ sunt? Hæretici Monasterium occupant, re-
gem sibi creauerant, omnibus Christianis minitabantur exitium, sed
quid non moliuntur hæretici? Vnde inter principes dissidia, conspi-
rationes, protestationes, suspiciones, criminationes, nisi propter hære-
ses? Nec defuerunt interea irati Dei flagella, quæ nouis studijs incum-
bentes deterrerent, omnesq; simul commonefacerent. Sudor Britan-
nicus maioribus nostris inauditus. Turca primum depopulatus, va-
stauit deinde, & sub iugum misit Vngariam, validissimum Christia-
norum propugnaculum. Bis in Germania breui post tempore visus
est. Omnis nostrorum conatus instar fumus euauit, manifesto iudicio
iræ ac vltionis diuine. Et nũc ceruicibus nostris imminet, vt taceamus

Propter
hæresim
& sectas
rustici cæ-
si, & quos-
tidie mas-
la succres-
cunt.

IVDICIVM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO.

bella fœuiffima, quibus inuicem abfumimus alter alterum, pestes, famem, sterilitatem, insuetam aeris inclementiam, quæ omnia post exortas hæreses simul successerunt, & crescentibus hæresibus ipsa quoque succrescunt. Nec spes est, nisi submota hæresi, Deum nobis futurum propitium, qui multo amplius incredulitati & hæresi, quàm erratibus humanis, irasci solet. Qui hæc non videt aut sentit, is plane & cæcus est & insensibilis, & sopor domini, sicut ait scriptura, irruit in eum. Et tamen Bucerus pulchrum commetum hic nobis offundit. Credit se fascino oculos obligasse nobis, nec videre, quod videmus, nec quod sentimus, sentire, conaturque persuadere hæc omnia ideo accidere, quod Bucerum & Bucerum complices non recipimus: quod non possumus credere aliud, quàm Euangelium & sancta doceat Ecclesia: loquiturque res ipsa, quod non possumus a sensu veritatis abalienari, & credere bonum esse malum, ac malum esse bonum, non etiam suum verbum esse purum, quod nimis impurum deprehendimus: neque item esse verbum domini, quod nihil sit inconstantius, mutabilius & nugacius, quum verbum domini maneat in æternum. Tam infelici præstigio, nimisque in tecto & perspicuo connititur omnium istorum malorum culpam ab hæreticis deflectere & detorquere in Catholicos: quemadmodum olim Demetrianus suorum temporum mala & incommoda in Christianos reiciebat, ut qui Deos aspernarentur. Cui elegantissime respondit egregius ille martyr Cyprianus demonstrans, quod propter veri Dei cultum neglectum omnia aduersa acciderent. Consimili querela fatigabant ethnici Christianos tempore Augustini, qui & ipse in atheos illos homines hanc querelam retorquet. Cæterum hæc semper fuit malorum hominum proprietas, culpam suam non agnoscere, sed imputare alteri. Verissimum est autem, omnem hæresim sequi certissima Dei flagella. Non sustinet enim Deus perfidiam, illorum precipue, quibus veritas eius cognita est, quique ipsius religionem & fidem profiterentur, inultam. Hoc loquuntur tot afflictiones & captiuitates, quas filii Israel ab exteris perpeffi sunt, de quibus Moses, libri Iudicum & Regum, Hagiographi quoque & prophete dant clara testimonia. Neque de sunt nobis exempla propria. Quantum enim malorum introduxit vel sola illa Arris perfidia in Ecclesiam? Ea tempestate facies Ecclesie fœda & admodum turpis erat. Non enim ab extraneis tyrannis, sicut prius, sed a proprijs vastabatur. Et ut Ruffinus inquit, fugabat alius, alius fugabatur, & uterque de Ecclesia erat. Ara nusquam, nec immolatio, nec libamina, præuaricatio tantum & lapsus erat, ac ruina multorum: similis poena, sed impar victoria, similiter cruciabantur, sed non similiter glorificabantur, quia dolebat Ecclesia etiam illius casum, qui impellebat ad lapsum. Cumque diu fatis in Ecclesia fuisset tumultuatum, nec adhuc hæreses conquiescerent, grauior tempestas accessit. Gothi enim & Vvandalii crudelissimæ gentes cunctos simul subegerunt.

Nec

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BVGERI.

Nec dictu facile, nec cuius credibile, q̄ pessime sub barbaris istis et inhumanis hominibus Christiani fuerint habiti & afflicti, vt cōplures Historiographi, & in primis Victor ille Vitenſiū Episcopus, qui eo seculo libros tres de persecuutione V vandalica scripsit, cōtestantur.

Nec aliud apparet modo futurum, nisi errorum magistri resistant, & veritatem agnitam cessent aduersus spiritum sanctum oppugnare.

Post hæc omnia, quo Reuerend. Domino, Comitibus, ciuitatibus, aulicis, nobilibus & plebeis causam suam faciat cōmendatiorem, pro-uocat nos ad certamē & disputationem, & hoc ipsum tanq̄ magnus quispiam Quinquertio vehementer vrget. Persuasit enim sibi, vt apparet, nos detrectaturos certamen, siue ob eruditiōis, quā sibi arrogat, opinionem, siue quod nos ad hanc palestram credat parum exercitatos, aut quod sit probabile, illorum incumbat autoritati & præsidio, quibus iam persuasit. Insinuat nos dolose & parum Christiane agere, nisi in palestram secum descendamus. Hoc ait fecisse diuum Augustinum, & Donatistas ad disputandum inuitasse. Ita testari de se Ambrosium ad Marcellinam sororem. Hoc constitutum in lviij. & lix. capitibus Concilij Aphricani, ac deinde huc Apostolum ipsum nos inhortari ij. Timoth. ij.

Cui nos paucis respondemus: Patres nunq̄ detrectasse certamen & disputationem, si quæ incidissent quæstiones nondum in Ecclesia definitæ, sed consueſſe ad discussionem eiusmodi quæstionum aduersarios inuitare, & Synodum congregare, in qua sub iudicibus Ecclesiasticis de controuersijs definiretur & constitueretur. At si quis per ingenij prauitatem aut nouationis studium nolens acquiescere sanæ doctrinæ, semel definitas quæstiones subinde refricare, & rursus in dubium reuocare tentasset, coarcebatur: nō autem ad disputationem admittebatur. Sic Gelasius in sua decretali, cuius pars habetur xxiiij. quæst. prima: Patres nostri catholici, videlicet docti pontifices in unaquaq̄ hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communionem catholicam atq̄ apostolicam, secundum scripturarum tramitem, prædicationemq̄ maiorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps, firmumq̄ constare, nec in eadem causa denuo, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet reuolenti præsumptione permiserunt, sapientissime prouidentes, quoniam si decreta salubriter cuiq̄ liceret iterare, nullum contra singulos quosq̄ prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper per ipsos furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur. Nam si similibus etiam præfixis, positarum semel Synodaliū regu-

E ij larum

IUDICIUM VNIVERSITATIS ET CLERI COLO-
larum non cessent elisæ pestes resumptis certaminibus contra funda-
mentum sese veritatis attollere, quid fieret, si subinde fas esset perfidis
inire Concilium? hæc Gelasius. Huc spectat & Martiani Imperatoris
constitu. De sanct. Trinita. & fid. catho. Nemo.

Hæc patrum nostrorum vestigia libenter, sicut oportet Ecclesie
filios, sectamur, damnantes, quod damnarunt illi, disputantes & excu-
rantes, quod nondum est excussum aut definitum. Quod refert mul-
ta Concilia post Nicenum illud coacta, in quibus rursus de quæstio-
nibus in Niceno Concilio definitis sit disputatum, arguit Gelasius in
eadem sua decretali ad Episcopos Dardaniæ esse falsum, ubi ita hæ-
bet: Non latet nos in tempestate persecutionis Arrianæ plurimos
pontifices de exilijs pace reddita respirantes, per certas prouincias con-
gregatis secum fratribus Ecclesias composuisse turbatas, non tamen
vt illius Synodi Nicenæ, quicquid de fide & communione catholi-
ca definierant, immutarent. Quando vero nobis obiicit Paulum se-
cundæ ad Thimotheū secundo: Seruum autem domini non oportet
litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum
modestia corripientem eos, qui resistunt veritati: quid hoc facit ad im-
ponendam disputationis necessitatem? Apostolus præcipit corripere.
Aliud est corripere, aliud disputare. Allegat & Ambrosium, quem
facit ad Marcellinam sororem suam scribere: Se Auxentium Arria-
num ad disputandum coram vniuersa plebe Mediolanum prouo-
casse sub hac lege & conditione, vt qui populi iudicio vicisset, obtine-
ret Episcopatum. Hic rursus falsus est. Nihil enim minus agit illic
Ambrosius, & ne semel quidem meminit vllius disputationis. Tan-
tum scribit forori agonem suum, q̄ constanter pro Ecclesia & altari-
bus contra Valentiniani Imperatoris satellites restiterit, & desuda-
uerit. In alia quadam epistola ad Valentinianum ipsum, qui iusserat
“ cum Auxentio disputare, ita respondet: Si tractandum est, tractare
“ didici in Ecclesia, quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fi-
“ de, sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constanti-
“ no augustæ memoriæ principe, qui nullas leges ante permisit, sed de-
“ dit iudicium sacerdotibus. Factum est etiam sub Constantio augu-
“ stæ memoriæ Imperatore, paternæ dignitatis hærede. Sed quod be-
ne cœpit, aliter consummatum est. Nam Episcopi synceram primo
scripserant fidem, sed dum volunt quidam de fide intra palatum iu-
dicare, id egerunt, vt circumscriptionibus illa Episcoporum iudicia mu-
tarentur, qui tamen inflexam statim reuocauere sententiam. Si ad Sy-
nodum prouocat Auxentius, vt de fide disputet, licet non sit necesse
propter vnum tot Episcopos fatigari, qui, etiam si angelus de cœlo
esset, paci Ecclesiarum nō deberet præferri. Cum audiero Synodum
congregari, & ipse non deero. Tolle igitur legem, si vis esse certamen.

Buc. false
allegat
Ambrosi-
um.

Huc

DE DOCTRINA ET VOCATIONE BVCKERI.

Hucusque Ambrosius. Vnde apparet, quod false & perfide sanctus ille pater citetur ab heretico isto deprauatissimo. Simili fide allegat cap. lvij. & lix. Concilij Africani, quae dicit constituere, ut Praefectis seu Praetoribus Caesareae maiestatis disputationi praesidentibus, Episcopi aduersus Donatistas ineant disputationem, a quo Concilium illud est remotissimum.

Buce. fals
se allegat
S. Ambro
sium.

Quamquam autem sacris canonibus, & patrum decretis non permittatur nobis cum haereticis super damnatis quaestionibus congressus & disputatio, ne tamen gloriosus iste Thraso nobis insultet & gloriatur, ut facit, apud plebem, cui persuadet nos fugere lucem, causae diffidere, nec habere, quod ipsi opponamus: eni uero, nulla coacti necessitate, aut lege, tantum ne tot animas lupus impune disperdat, & toties iactet peruersam suam doctrinam aduersus sanam & orthodoxam sanctae matris Ecclesiae hactenus traditam & praedicatam fidem, quam propter simplices quosque, aut iam prope nutantes expedit (etiam si vetant canones disputare) defensam, pusillorum scandalo potissimum imminente, legitimam pro fide nostra disputationem non abnuimus, etiam super his eius assertionibus, quas aliquando damnauit vniuersalis Ecclesia: modo detur iudex, cui permittuntur canones de fide Ecclesiae iudicare & definire, & aequis armis concedatur utrinque certare. Hoc est, modo suscipiat sacram scripturam secundum sensum & interpretationem sanctorum patrum, qui nos ante mille abhinc annos praecesserunt. Canones item & decreta per vniuersalem Ecclesiam constituta & hactenus comprobata, cum illorum patrum & Ecclesiae doctorum doctrina, qui scholasticam, ut ipsi appellant, Theologiam praecesserunt. Haec enim cum sint arma, quibus nos impetit, aequum est ut eadem nobis permittat, & sinat se illis vicissim impugnari. Ad istiusmodi legitimam disputationem (confisi de auxilio & gratia Dei omnipotentis, & Christi saluatoris nostri, qui dixit: Cum stabitis ante reges & praesides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris, qui loquitur in vobis) nos promptos & voluntarios praeter Ecclesiae consuetudinem offerimus.

Coloniens
ses vltro
offerunt se
ad legitimam dis
putationem.

Ita censuerunt Deputati ab Vniuersitate & Clero Secundario
Coloniensium. Deputantium & suo nomine.

Anno M. D. XLIII.

E iij

REVERENDI IN

CHRISTO PATRIS AC DOMINI D. QVIRI-
ni Episcopi Cyrenēsis & Archipræsulis Coloniē. quondā in Ponti-
ficalibus Vicarij, saluberrimum consilium aduersus hæreses, idq; ex
quadam eius cōcione super verbo illo Euangelico: Vade Satana, ha-
bita, & propria manu descripta excerptū, atq; syncero huic, ac ricq; lu-
dicio adiectum, vt mortuum etiam eum, veluti solenne Vniuersitatis
& Cleri membrum, pro antiqua religione tuenda fortiter pu-
gnare videat pius lector, qui viuus tam insignis eius præ-
co & strenuus propugnator extitit.



OTAM vitam nostram militiā esse,
seu tentationem, non scriptura tantum
nos docet, sed & ipse nos monere de-
bet Baptismus. Ibi enim, id est, in Bap-
tismo, veluti pugnaturi Imperatori nos-
tro, id est, Christo, nomen damus, & sa-
cramento adigimur fideles nos fore. Il-
le contra salarium pollicet, id est, regnū
Dei. Neq; vero leuē nobis esse proposi-
tam pugnam æstimemus, sed lōge gra-
uissimam, attestante Paulo ad Ephe. vi. Nō est, inquit, nobis collucta-
tio aduersus carnem & sanguinem, id ē, hoīes Lutheranos .i. impios,
sed aduersus p̄cipes & potestates. i. demones, q; carne & sanguine. i.
impijs hoībus vtuntur velut organis, aduersus mundi rectores tene-
brarum harum, contra sp̄ales nequitias. i. astutias in cœlestibus. Est
autem longe periculosissima tētatio, quæ sub specie boni aut recti ho-
minem arripit, & tali specie conscientiam hoīs ligat, ita vt non credat
esse tentationem, sed magis dogma veritatis. i. verbum Dei. Tali spe-
cie semper diabolus aggredit̄ hominem, quoties per infideles aut hæ-
reticos conatur hominem abducere a fundamento salutis suæ. i. a fi-
de. Nam Iudei scripturam mordicus tenēt & illius prætextu multos
deceperunt. Item hæretici semper pro more habent Euangelium ias-
tare, & sub tam specioso prætextu multos seducunt. Hic labor, hoc o-
pus est. Si iuxta apostolicam. i. Petri & Pauli doctrinam arripio scutū
fidei, ipsi fidem docere se iactant. Si confugio ad sinum matris Eccle-
siæ, & illius autoritate niti volo, apud se Ecclesiam esse dicunt. Quid
ergo faciemus? A scuto fidei & autoritate Ecclesiæ nequaquā receda-
mus. Cum autem semel apostolica prædicatione fides sit per orbem
diffusa, & prædicatum Christi Euangelium iuxta David vaticinium
vsq; ad finem orbis terræ, certum esse nobis debet, non esse fidem do-
gma eorum, quātumlibet iactent. Vnica enim est fides Christi, a qua
semel suscepta vetat Apostolus recedere, etiamsi angelus de cœlo alio-
ud

ad euangelizet. Certus es ergo huiusmodi, siue hominem, siue angelum non aliud esse, q̄ tentatorem. Imo esse angelum Satanæ transfiguratum in angelum lucis. Quod autem Ecclesiam hæretici semper iactant apud se esse, pro more suo faciunt. Sed reuera apud eos non esse Ecclesiam, hoc est fidele argumentum, sectio eorum & contradictio, contra quos scriptura Ecclesiastici secundo ait: Væ duplici corde, & peccatori terrâ ingredienti duabus vijs. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non proteguntur ab eo. Ecclesia autem catholica vnica est, vt habet symbolum fidei, vno spiritu sancto semper gubernata, extra quam nulla fides, nulla peccatorum remissio, nullum Euangelium esse potest, quantumlibet iactent. Est ergo prætextus falsus, sub quo letale venenum latet. Tuum ergo est summo opere cauere, ne capiaris. Verum cum certus sis huiusmodi esse Satanæ nūcium, dic cum Christo: Vade Satana. Remedium autem contra huiusmodi tentationem est: Primum cogita nouitatem, quā tuuis placeat, tamen in omni re esse suspectam, sed in fide Christiana esse perniciosam & pestiferam. Patet, quia fides omni tempore est vna, nec antiquari potest. Ideo omnis nouitas in fide perfidia est teste Paulo. Deinde cogita, quod etiā Paulus docet Ecclesiā Dei esse columnā & firmamentū veritatis. Hanc esse vnicā, & a Christo ad nos sine interruptione deriuatam, ac duraturā vsq; ad cōsummationem seculi. Hanc esse apud hæreticos non posse, quia multi sunt, contrarij sunt, veteribus noui succedunt. Quantumlibet ergo luceat tentator, videatur quantumlibet verus & euangelicus, tuum est dicere cum Christo: Vade Satana. Est autem in hoc fere periculum nobis, quod imparatos & non satis munitos nos inuadit tentator. Igitur consultum est, vt quæ admodum aere pestifero flatu infecto nos varijs antidotis præmunire anxie solemus, ita etiam hoc periculosissimo hæresum vndiq; obambulantium tempore nos scripturarum recte intellectarum testimonijs, & certorum authenticorūq; librorum aduersus huius seculi hæreses in lucem editorum instructionibus, veluti efficacissimis phar macis & antidotis præmuniamus, ne inficiamur, inquinemur & illaqueemur, iuxta illud Ecclesiastici decimo tertio: Qui tetigerit picē, inquinabitur ab ea.

Hieronymus: Hæreticorum, inquit, sibilus irremediabiliter mentes audientium vulnerat. Quapropter Imperatores Valentinianus & Martianus L. Quicumq; C. de hæreticis sanxerunt: Adeuntes discendi studio, vt de infausta hæresi disputantes audiant, decem librarum auri iubemus subire dispendium. Vltimo autem supplicio coerceantur, qui illicita docere præsumperint, aut ex ciuitatibus expellantur, &c. Hanc legem Valentinianus decreuit ante mille & centum annos.